MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCLXXXXIII ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

EXTRA ORDINEM D. IIII. IUL. CIↃIↃCCCXXXVI

LOCO CONSUETO HORA VIIII.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

DETLAUS CAROLUS GUILIELMUS BAUMGARTEN-CRUSIUS,
ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROFESSOR I., SOC. LAT. IENENS. ET HISTORICO-THEOLOG. LIPS. SODALIS.

Disciplina juvenilis Platonica cum nostra comparatur.

Memoria

Joann. Christ. Gottl. Muelleri D.,

Summi quondam cultus divini et institutionis pu[redacted]

MISENAE,
EX OFFICINA MAURITII CHRISTIANI KLINKICHTII.

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitae extremum inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
Et Venere et coenis et pluma Sardanapali.

Juvenal. X, 356 — 362.

In dialogo Platonico, qui Lachetis nomine inscriptus est, duo cives Athenienses, senes probi et honesti, Lysimachus Aristidis, Melesias Thucydidis, non rerum scriptoris, sed alterius illius, qui Periclis adversarius fuit,*) filii, quum gladiatorem armorum artem ostentantem vidissent, Niciam et Lachetem, clarissimos tunc Atheniensium duces, qui et ipsi spectatores affuerant, in via appellant illisque auctoribus Socratem ad colloquium vocant de recta institutione adolescentibus impertienda; esse enim sibi filios adolescentes, magnis avis cognomines Thucydidem et Aristidem, eos se nolle ullo optimae disciplinae genere destitui, ne, quod sibi acciderit, ut patribus rempublicam domi forisque administrantibus florem aetatis in desidia et inerti mollitie transegerint, nunc extrema aetate gravissimarum rerum ignorantiam ingeniique neglectum sero erubescant, id etiam illis accidat; atque eos monentibus sibi, si vires a natura datas neglexerint, contemtum, si gnaviter eas excoluerint, dignam nominibus,

---

*) De hoc v. Marcellini vit. Thucyd. p. 324. ed. Poppon. *Μὴ ἀγνοῶμεν δέ, ὅτι ἐγένοντο Θουκυδίδαι πολλοί, οὗτός τε ὁ 'Ολόρου παῖς (ὁ συγγραφεύς), καὶ δεύτερος δημαγωγός, Μελησίου* (al. *Μιλησίου*), *ὅς καὶ Περικλεῖ διεπολιτεύσατο κ. τ. λ.*, Thucyd. I, 117. et interpr. ad h. l., Plutarch. Pericl. 8. et 11. et 14.

quae gerant, civium existimationem sperari posse, morem facile gerere, se autem incertos dubitare, qua potissimum disciplina et exercitatione illi ad eam, quam appetant, virtutem efformari possint, ideoque vel hanc armis depugnandi artem, quam ostentatam modo spectaverint, num utilem ad juventutis institutionem arbitrentur, fortissimos prudentissimosque viros interrogatos se velle. Tum illi, arbitrio ad Socratem delato, callida disputatione ad finem omnis institutionis, ad virtutis et, de qua re nunc maxime agitur, ad verae fortitudinis vim et naturam recte concipiendam deducuntur, quam neque sola audacia neque magis una prudentia, sed conscientiae factorumque congruentia ortaque inde aequabili sentiendi, dicendi, agendi constantia contineri, Socrates ipse suo exemplo satis demonstraverat. Vere enim de eo dici poterat, quod Plat. de rep. III. p. 402. C. legitur: *ὅτου ἂν ξυμπίπτῃ ἔν τε τῇ ψυχῇ καλὰ ἤθη ἐνόντα καὶ ἐν τῷ εἴδει ὁμολογοῦντα ἐκείνοις καὶ ξυμφωνοῦντα, τοῦ αὐτοῦ μετέχοντα τύπου, τοῦτ' ἂν εἴη κάλλιστον θέαμα τῷ δυναμένῳ θεᾶσθαι* et optime ille ostendebat, quae in singulis laudentur, quod prudentia vel fortitudine vel temperantia prae multis aliis excellant, ea omnia manca et imperfecta esse, nisi perpetua animi vitaeque concordia, ex qua tranquillitas felicitasque tanquam ex perenni fonte prodeunt, illas virtutes ut diversorum sonorum concentum justo ordine, *εὐταξίαν* et *εὐρυθμίαν* Graeci appellant, conjunxerint. *Ut enim*, quae Ciceronis verba sunt de offic. I, 40., *in fidibus aut in tibiis, quamvis paulum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet; sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet; vel multo etiam magis, quo major et melior actionum quam sonorum concentus est.* Ea autem virtus, quae non externa dictorum factorumque honestate, non rerum gestarum laude, neque morum temperantia modestiaque, sed iis omnibus interna lege certaque ratione conjunctis et ad summam congruentiam copulatis cernitur, a Platone *justitia* illa sublimiore sensu dicitur, ad cujus perfectissimam speciem civitatem suam descripsit, singulos a primordiis vitae institui exercerique voluit. Atque ex hac, quam animo conceperat, imagine perfecti consummatique viri, qui vere philosophus appellaretur, *φύσει μνήμων, εὐμαθής, μεγαλοπρεπής, εὔχαρις, φίλος τε καὶ ξυγγενὴς ἀληθείας, δικαιοσύνης, ἀνδρείας, σωφροσύνης* (de rep. VI. p. 487.)*), divinam illam sententiam commentus est Plato, multis

---

*) cf. de rep. VI. p. 490. C. *Καὶ δὴ τὸν ἄλλον τῆς φιλοσόφου φύσεως χορὸν τί δεῖ πάλιν*

illam multorum judiciis iisque magnam partem ineptis vexatam, qua tam demum bene consultum fore censuit civitatibus et universo generi humano, ubi philosophi rebus praeesse, aut, qui praesunt rebus, vere et sincere philosophari h. e. veram virtutem cognoscere et exercere atque ita cum civili potestate summam prudentiam conjungere coepissent (de rep. V. p. 473. D. *Ἐὰν μὴ ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐφ' ἑκάτερον αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν, οὐκ ἔστι κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσι, δοκῶ δὲ οὐδὲ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει.*)

Nostra aetate, qua de plerisque rebus, quae et ad universi generis humani felicitatem, et ad civilis vitae incolumitatem, denique ad commercii quaestusve utilitatem publice privatimque pertineant, accuratius quaeri coeptum est, populis et literarum promiscuo usu et negotiorum celebritate et frequentia artius quam unquam ante inter se conjunctis, multis artibus recens inventis, omnibus subtilius excultis, et communicata, quae antea paucis demandata erat, consiliorum officiorumque administratione cum iis reipublicae ordinibus, qui vel genere vel opibus inferiores rerum peritia et patriae amore reliquis non posthabendi viderentur, fieri non potuit, quin de disciplina publica et, sine qua illa neque esse neque bene succedere potest, juvenili institutione et veteres controversiae instaurarentur, vel novae animos in diversas partes commoverent. Sed Germani quamvis proniores ad laudanda, quae ab exteris rarius inventa, saepius magna verborum ostentatione praedicata et pro novis venditata sunt, et imitandi cupiditate principes, eo tamen prae reliquis excellunt, quod ab admiratione ad agendum tardius progrediuntur, aut utilitate alicujus rei plurimis suffragiis commendata, in paucis periclitari quam subita mutatione universi rerum ordinis jacturam facere malunt, denique, quae laudabilis eorum gravitas est, quaecunque bona et justa et salutaria documentis et experientia satis cognoverunt, ea maxima constantia tenent, at quorum specie et fuco ali-

---

ἐξ ἀρχῆς ἀναλαμβάνοντα τάττειν; μέμνησαι γάρ που, ὅτι ξυνέβη προσῆκον τούτοις ἀνδρεία, μεγαλοπρέπεια, εὐμάθεια, μνήμη, et p. 494. B. *ὡμολόγηται γὰρ δὴ ἡμῖν εὐμάθεια καὶ μνήμη καὶ ἀνδρεία καὶ μεγαλοπρέπεια ταύτης εἶναι τῆς φύσεως (φιλοσόφου) — οὐκοῦν εὐθὺς ἐν πᾶσιν ὁ τοιοῦτος πρῶτος ἔσται ἐν ἅπασιν, ἄλλως τε καὶ ἐὰν τὸ σῶμα φυῇ προσφερὴς τῇ ψυχῇ;*

quando se falli passi fuerant, ea dedocti abjicere et ad saniorem sententiam redire non erubescunt. Atque ita evenire iis solet, ut ob tarditatem illam, quae imperitis multis inertia quaedam esse videbatur, saepe contemti et derisi, quicquid probaverint probatumque instituerint, non desultoria levitate, sed ratione et ordine agant, id quod in constituenda forma reipublicae, in armandis et exercendis civibus, in ordinandis negotiis, administrandis custodiendisque aerariis, aliisque ministeriis privatis et publicis, quae recensere non attinet, ita demonstrarunt, ut ab obtrectatoribus aemulisque gloriae patriae majore in dies verecundia et favore suspiciantur. Et maxime meriti sunt eam laudem in moderanda juvenum educatione, quam quum proxima aetate docti indoctique judices nimis umbraticam et mancam et exilem dictitassent, mox facta purgandi poliendique potestate alii ad ludum jocumque, alii ad lucrum quaestumque revocassent, sensim mansuefactis animis placatisque iris ii, penes quos summum arbitrium et justa auctoritas erat, ita ordinaverunt, ut detersis sordibus elutisque maculis, et exterminatis, quae ex vetere incultu nimis diu haeserant, antiquissimi fundamenti, cui tempestates adeo nihil offecerant, ut etiam solidius substructum videretur, ne lapidem quidem moverent, aedificium ipsum pilis confirmarent et novarum columnarum ornamentis condecoratum ad altius fastigium erigerent. Et in Saxonia quidem, a restituto inde literarum et sacrorum honore benigna optimorum studiorum matre et nutrice, ab iis, qui huic negotio regia auctoritate praesunt, proximo anno id datum est experientiae et industriae magistrorum, ut qui scholis praefecti vel in alio eruditionis genere principes essent, in patriam urbem evocati de finibus et forma et ratione studiorum disputantes audirentur, et quum ad describendum rerum ordinem ventum esset, ad consiliorum et suffragiorum communionem admitterentur. Jam quum scholis patriis nova aetas nasci videatur, multis, maxime quae ad complexum et ordinem studiorum pertinent, nuper institutis, aliis ad aequandum disciplinae regimen et stabiliendam per omnes certae et frugiferae doctrinae gravitatem sapientissime praeparatis, indicturis nobis anniversariam conditi ante tria fere secula Afranei solemnitatem non alienum videtur, comparatis antiquorum et nostrorum hominum rationibus et institutis, quantum illis debeamus in plurimis et gravissimis, quid ipsi profecerimus auctis emendatisque optimarum artium subsidiis, quid denique desit nobis ad dignam illorum aemulationem vel ad consequendum eum finem, quem augustissimo exemplo et divina institutione Christiana religio proposuit, diligentius examinare; in quo negotio

Platonem ducem sequemur, de iis philosophaturi, quae vera et pulcra et justa sunt et, quum divinae ea omnia originis sint, in omnem aeternitatem erunt. Neque vereor, ne quis Graecorum sapientiam nos praedicantes ut antiquarios vel recentissimae cujusque laudis contemtores repudiet, quum iis maxime destinata sit haec scriptio, qui, quum Graecos veteres, quid esset bene sapere et quid praestare posset mens sana in corpore sano, dictis factisque luculentissime manifestasse assidua lectione et imitatione cognoverint, id non modo in vestibulo templi sui, sed pectoribus inscriptum habere debeant, ut sapere ausi ad omnis virtutis conscientiam et perpetuitatem atque constantiam eniti moliantur.

Omnis educationis et institutionis rationem et fines recte descripturis id maxime videndum est, ne, quae a singulis vel populis vel praeclaris difficillimae artis magistris hac vel illa aetate temere posita et ad diversissimi cujusque consilii legem aut ad peculiarem aliquam disciplinam et auctoritatem exacta fuerunt, pro vera norma summoque optimae rationis exemplo proponantur. Itaque non magis eos curamus, qui neglecto ingeniorum cultu corpora juvenilia assidua armorum exercitatione duranda, animos tristi imperio coërcendos rati, ad firmitatem et robur civitatis, quam bene munitam et fortiter defensam cuperent, omnia revocarunt, quam qui ea maxime commendarunt, quae ad favorem et admirationem composita elegantiam vitae morumque festivitatem ostentarent, neque vero, qui rerum scientiam vel artium peritiam ad futura, quae publice privatimque inde sperari possent, emolumenta comparandam esse existimarunt. Ita enim aut ad ferocitatem et contumaciam illam, quae domi a saevis domitoribus compressa foris audacissime exsultare solet, aut ad mollitiem et imbecillitatem, qua effeminati animi, quicquid laboris dolorisve imponatur, turpiter refugiunt, aut ad habendi quaerendique cupiditatem, nullam artem vel fraudem, modo aliquam utilitatis speciem prae se ferat, facile detrectantem, teneram aetatem conformari, tristissima omnium aetatum exempla ostenderunt. De hominibus enim agitur, non de civibus futuris, neque de doctrinae vel artificii incrementis, quae ut optima praesidia et ornamenta sunt vitae vere humanae, ita ipsam humanitatem de principatue suo djicere non possunt. Itaque ut, qui invalidi corporis animique viribus et alieni auxilii indigentes in vitam prodeunt, pueri primum necessariis vitae subsidiis impertiantur et ab omni injuria defendantur, tum lento usu cognoscant, quid virium natura dederit, inde apertis oculis lucem recipere et res circumjectas contemplari et admirari, iisque nomina imponere atque ea recte pronunciare discant,

tum vero jam benignius admoto animis pabulo impensius uti et divinitus datas et adhuc reconditas rerum notiones concipere et verbis explicare et confabulando augere assuescant, id ante doctam aliquam praeceptionem ipsius naturae lege sancitum est, datumque hoc servandi excitandique humanitatem negotium matribus, quae quo religiosius naturam sequuntur ingenita caritate commotae, eo felicius de genere humano merentur. Idque primum sapientissime observarunt homines antiqui, ut confisi naturali illo affectu et tanquam impulsu matribus educandi leges non darent, sed virgines matronasque a negotiis publicis diligentissime removerent, castitati primam laudem tribuerent, matrimonia sanctissima religione tuerentur, virorum custodiam quidem et tutelam relinquerent, disciplinae severitatem tenera aetate prohiberent. Fuere quidem, qui Cretensium et Spartanorum exemplo, quod ipsi Platoni non displicuit, gymnicas virginum exercitationes instituerent institutasque laudarent, ut hodie ostentatione talis artificii nonnulli abutuntur; et qui contemtam modestiorum feminarum solertiam et salubriora earum officia, quae domi et in secreto exhibent, justo honore fraudata fuisse a Graecis temere crediderunt,*) non minus errant, quam qui seducti recentioris aetatis exemplo, quod feminas a modestia ad arrogantiam et fastum, a temperantia ad luxuriam, et a rei domesticae cura ad circulorum strepitum, denique a tutissima privatae vitae felicitate ad civiles contentiones et partium studia protrusit, ad usum cultumque vitae haec omnia melius comparata esse existimant. Egregie igitur apud Xenophontem Oeconom. VII, 14. uxor Ischomachi, appellata a marito de communi rei domesticae administratione, *τί δ᾽ ἂν ἐγώ σοι*, ait, *δυναίμην συμπρᾶξαι; τίς δὲ ἡ ἐμὴ δύναμις; ἀλλ᾽ ἐν σοὶ πάντα ἐστίν· ἐμὸν δ᾽ ἔργον ἔφησεν ἡ μήτηρ εἶναι σωφρονεῖν*, quae quo simpliciora esse videntur, eo venustiora sunt, ut ex ipsis naturae nutrimentis repetita. Admirabilia etiam, quae de liberorum educatione in epistola ad Eubulen praecipit Theano (Opusc. mythol. edit. Gal. p. 740. sequ.), sive, quod hodieque multi credunt, Pythagorae illa uxor haec ipsa conscripserit, sive sententias tanti viri disciplina dignissimas recentior aliquis scriptor in eam, qua extant, formam redactas servaverit. Quod ubique

---

*) V. quae *Frid. Jacobsius* in sylloge libellorum (*Vermischte Schr.* Tom. III. p. 201. sequ.) de matronarum Graecarum dignitate et virtute egregie exposuit, usus etiam p. 205. Ciceronis auctoritate, cujus verba a Columella praefat. ad l. XII. servata sunt.

omnique tempore valuit, ut ingenium a natura datum et maxime ingenitus amor et eo excitatum incensumque alicujus rei studium plus efficiant quam docta et prolixa magistrorum praecepta, id maxime de prima educatione et materno hujus educationis ministerio praedicandum est, *) quum illud *σωφρονεῖν*, quod Ischomachi uxor a matre didicerat, nimis contemtum ab iis, qui prudentissimi sibi videntur, naturae simplicitati adesse et in agenda re opitulari soleat, saepius destitutis ostentatoribus artis et scientiae. Ceterum quantumvis repugnaverimus iis, qui de mulierum existimatione, quam probis honestisque maximam apud veteres Graecos fuisse praeter ea quae diximus multa et illustria poetarum et rerum scriptorum monumenta satis comprobant, invidiosius statuerunt, id tamen in praestantissimis Christianae religionis beneficiis veneramur, quod ea in impertiendis institutionibus officiisque divinis deleto quovis vel conditionis vel sexus discrimine et restituta omnibus libertatis, qua ad meliora evehantur, aequabilitate, etiam matribus potiorem in societatis humanae communione locum dedit, et pueros damnosa servitiorum consuetudine prohibuit, omnibus autem nobilissimas opportunitates proposuit, per quas excitatis verae virtutis igniculis ad pietatem et honestissimi cujusque officii sanctitatem commoverentur.

Nimis saepe conquerimur, quicunque publicis scholis praesumus, pueros nobis tradi aut delicata educatione corruptos omnisque laboris impatientes, aut inutili multarum rerum cognitione, quae non conveniunt ei aetati et ad nugas magis ineptiasque quam ad animorum cultum pertinent, infelicissime districtos, aut vero immorigeros et disciplinae maturioris adolescentiae contumacius repugnantes, ut satis nos excusatos existimemus, quod de humanae institutionis primordiis verbosius exposuerimus; illud enim matribus, hoc patribus vitio vertendum est, qui ubi officio suo defuerint aut a naturae simplicitate et ordine temere recesserint, nos diu vel semper frustra laborabimus.

---

*) *Wolf.* consil. scholast. p. 7. not. „*Manche gute Frau von mittelmässigen Fähigkeiten und Kenntnissen erzieht besser als die grossen Theoristen der Paedagogik.*“ Ceterum praeceptis quoque vere et eleganter descriptis plures mulieres de educatione, primae maxime aetatis, bene meritae sunt, quam in rem librum laudamus nuper editum: *Mad. Necker de Saussure de l'education progressive ou Etude du cours de la vie*, Germ. redditum ab A. de Hogguer et C. de Wangenheim: *Die Erziehung des Menschen auf seinen verschiedenen Altersstufen.* Hamburg. ap. Perthes. Vol. I. 1836.

At nobis non de educatione, cujus fines per totam vitam propagati sunt, succedente in parentum magistrorumque locum rerum experientia et longinqui temporis usu et periclitatione, sed de ea institutione dicendum est, quae in scholis cum maxime exercetur, quamquam, quae ipsa natura et ratione artissime inter se apta et nexa sunt, disserendo tantum distinguimus, agendo et exercendo, ut par est, consociamus. Verissime autem Fr. A. Wolfius Consil. scholast. init. educationem docuit duabus rebus absolvi, *assuefaciendo* atque *instituendo*, illud ad affectiones animi et consuetudinem vitae, hoc ad rerum scientiam pertinere, itaque *educatione* (l. c. p. 20.) ex angustiore vocabuli potestate alumnum bonis consuetudinibus imbui eoque perduci, ut notiones ipse animo informet et docilitatem afferat ad doctrinam accipiendam, *institutione* et *eruditione* impertiri tironi facultatem rerum perite agendarum, *doctrina* duce discipulum accipere a magistro cognitionem et scientiam rerum ab aliis inventarum et expositarum, iis autem omnibus nihil temere aliud proponi posse, ad quod dirigantur, nisi culturam et corporis et animi ducentem ad perfectionem humanitatis. Atque in eo ipso admirari solemus antiquae dictionis sanitatem et salubritatem, quod ipsis nominibus distinxerunt, quae diversa sunt, singula autem exercentes disputando minus et praecipiendo quam naturae convenienter agendo excelluerunt. *) Et ut nos scitissime *educi* aliquem dicimus s. *educari* (*erziehen*), hoc est ex primordiis et incunabulis naturae humanae ad finem humanitatis excitari et sensim promoveri, tum *insti-*

---

*) *Wolf.* l. c. p. 29. *Die Alten raisonnirten weniger und thaten mehr. Daher waren sie klüger und bedurften kaum Schriften über die Handgriffe.* Id. *Plato hat in den Werken von der Republik und den Gesetzen sehr viel über allgemeine Regeln gesagt. Die Republik ist gar nicht so chimärisch, wie man oft glaubt. In der Abhandlung über die Gesetze spricht Plato sehr bestimmt davon. Eben dies that Aristoteles auf dem Wege der Politik* (S. *E. A. Evers Fragm. der Aristotelischen Erziehungskunst* folg. Zürich, Gesner 1806.). Qui de educatione veterum scripserunt, commemorati sunt a *Wachsmuthio* in libro de antiqu. Gr. (*Hellen. Alterthumskunde* Vol. II. P. II. p. 4.), quibus addendi sunt *Schwarzius*, a quo historia educationis antiquae primo majoris operis (*Erziehungslehre* ed. sec. 1829.) volumine pertexta est, et Frid. *Cramerus*, qui historiam educationis et disciplinae antiquae (*Geschichte der Erziehung und des Unterrichts im Altherthume*) prima parte Elberf. 1832. edita diligentius enarrare exorsus est. Praeterea conferendus *Iacobsius* in annot. ad orationem, quam de educatione Graecorum ad morum honestatem comparata (*Erziehung der Hellenen zur Sittlichkeit*) habuit (*Verm. Schrift.* P. III.), et quos p. 16. et p. 289. laudavit.

tui (*unterrichten*, *unterweisen*), hoc est ad rem aliquam cognoscendam et agendam auxilii nostri interventu commoveri et ad rectam viam ingrediendam tanquam digito monstrante converti, tum *doceri* ea, quae ad subtiliorem rerum scientiam pertineant (*belehren*), his autem omnibus *excoli* (*bilden*) ad humanitatis conscientiam et dignitatem, ita Graeci ad significandas hujus curae partes aptissimis vocibus utuntur. Universam enim educationem cum institutione conjunctam fere *τροφὴν* et *παιδείαν* dicunt, ut Plato Criton. c. 5. (p. 45. D. Steph.) *ἢ γὰρ οὐ χρῆν ποιεῖσθαι παῖδας, ἢ ξυνδιαταλαιπωρεῖν καὶ τρέφοντα καὶ παιδεύοντα,* et c. 12. (p. 50. D.) *ἀλλὰ μέμφει τι τοῖς περὶ τὴν γενομένου τροφήν τε καὶ παιδείαν, ἐν ᾗ καὶ σὺ ἐπαιδεύθης; ἢ οὐ καλῶς προσέταττον ἡμῶν οἱ ἐπὶ τούτοις τεταγμένοι νόμοι, παραγγέλλοντες τῷ πατρὶ τῷ σῷ σε ἐν μουσικῇ καὶ γυμναστικῇ παιδεύειν;* et Phaedon. c. 57. (p. 107. D.) *οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα εἰς Ἅιδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς, ἃ δὴ καὶ μέγιστα λέγεται ὠφελεῖν ἢ βλάπτειν τὸν τελευτήσαντα εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἐκεῖσε πορείας,* et Plutarch. de discr. adul. et am. p. 241. Reisk. *φύσιν κὰι τροφὴν καὶ παίδευσιν,* naturae bonitatem, et educationem, et doctrinam, distinguit.*) Tum *ἀγωγὴν* dicunt eam operam, quae in via demonstranda et regenda formandaque consuetudine et fine designando versatur, ut bene Suidas: *ἀγωγὴ λέγεται καὶ ἡ διὰ τῶν ἠθῶν τοῦ τρόπου κατακόσμησις,* quae quidem proxime ad humanam et civilem societatem et ordinem publicum pertinebat, cui observando et tuendo omnes a prima per proximas aetates assuefaciendi erant juvenes,**) sed a sapientioribus viris ad eam institutio-

---

*) Locos Platonicos complures citavit Stallbaum. ad Phileb. p. 178. (p. 55. D. Steph.), Xenophonteos Sturz. in lex. sub v. *τρέφειν*, *τροφή*, *παιδεία*, *παιδεύειν*, *παίδευμα*, *παίδευσις*. Addimus Platon. de rep. IV. p. 442. A. *τούτω δὴ οὕτω τραφέντε καὶ ὡς ἀληθῶς τὰ αὑτῶν μαθόντε καὶ παιδευθέντε*, mox: *τρέφουσα λόγοις τε καλοῖς καὶ μαθήμασι.* Ibid. II. c. 16. (p. 376. C.) *θρέψονται δὴ ἡμῖν οὗτοι καὶ παιδευθήσονται τίνα τρόπον;* cf. Ernest. ad Callimach. hymn. in Iov. 55. *καλὰ μὲν ἠέξεν, καλὰ δ᾽ ἔτραφες.*

**) *Wachsmuth* l. c. p. 18. „In den Gesetzgebungen der politischen Theoretiker von Platon an bis zu den Stoikern nahm die öffentliche Zucht und namentlich die Gewöhnung der Jugend dazu einen ungemein bedeutenden Platz ein, und für sie waren die lykurgischen und pythagorischen Einrichtungen Vorbilder. Das Oeffentliche, die Leitung der minder Gebildeten durch höher Gebildete bis zu den spätesten Altersstufen, Ausbildung aller körperlichen und geistigen Kräfte, Erfüllung mit dem tiefsten ethischen Sinne, Gleichartigkeit

nem referebatur, qua divinitus nati animi summarum rerum notiones concipiunt et ad veram aeternamque lucem evehuntur, ut a Platone de rep. VI. c. 2. (p. 486. D.) *φύσις, ἣν ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος ἰδέαν ἑκάστου τὸ αὐτοφυὲς εὐάγωγον παρέξει*, dicitur, et l. VII. c. 3. (p. 518. C.) *ὁ δέ γε νῦν λόγος σημαίνει, ταύτην τὴν ἐνοῦσαν ἑκάστου δύναμιν ἐν τῇ ψυχῇ καὶ τὸ ὄργανον, ᾧ καταμανθάνει ἕκαστος, — ξὺν ὅλῃ τῇ ψυχῇ περιακτέον εἶναι, ἕως ἂν εἰς τὸ ὂν καὶ τοῦ ὄντος τὸ φανότατον δυνατὴ γένηται ἀνασχέσθαι θεωμένη.* Quicquid autem ad scientiam et subtilem rerum causarumque cognitionem aptumque talis doctrinae usum pertinet, id *διδάσκειν* Graeci dicunt et *σοφίζειν* viros cujusque rei peritiores, unde primo honestoque sensu *σοφισταὶ* iidem sunt qui *διδάσκαλοι*, ut apud Platonem de rep. VI. c. 7. (p. 492. D.) *οἱ παιδευταί τε καὶ σοφισταὶ* iidem sunt.*) At cur tandem discimus et docemus, et quid juvat multiplicem comparasse rerum scientiam, quae multum differt a sapientia, justa animi sanitate, nisi vires ingenio humano divinitus inditas, triplicem illam animi facultatem, *λόγον, θυμόν, ἐπιθυμίαν*, s. *τὸ λογιστικόν, τὸ θυμοειδές*, et *τὸ ἐπιθυμητικόν* (Plat. de rep. IV, 16. p. 317. E.)**), consilio dominante ordinare et ad summam virtutis speciem et aequabilem concordiam efformare contigerit? *Illud vide*, quae Ciceronis verba sunt de rep. 1, 38., *si in animis hominum regale imperium sit, unius fore dominatum, consilii scilicet, ea est enim animi pars optima, consilio autem dominante nullum esse libidinibus, nullum irae, nullum temeritati locum.* Hoc autem est *σωφρόνως καὶ κοσμίως ζῆν*, ut Socrates, auctore Xenophonte Memor. III. 9, 4. *σοφίαν καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζεν, ἀλλὰ τὸν τὰ μὲν καλά τε καὶ ἀγαθὰ γιγνώσκοντα χρῆ-*

---

und Gemeinschaftlichkeit im äufsern Leben, Nahrung, Ehe u. s. w. lag im Gesichtskreise der philosophischen Gesetzgebungen über volksthümliches Leben, und dieses einer der Gründe der ausgedehnten Bedeutung der Wörter Pädeia u. Agoge im nachherigen Sprachgebrauche."

*) *Suid. λέγεται σοφιστὴς καὶ ὁ διδάσκαλος ὡς σοφίζων. τὸ δὲ παλαιὸν σοφιστὴς ὁ σοφὸς ἐκαλεῖτο.* Hesych. *πᾶσαν τέχνην σοφίαν ἔλεγον καὶ σοφιστὰς τοὺς περὶ μουσικὴν διατρίβοντας καὶ τοὺς μετὰ κιθάρας ᾄδοντας.* cf. Lex. Xenoph. sub. h. v.

**) De triplici illa animi facultate v. Stallbaum. praef. ad Plat. Remp. p. XXX. et Argum. l IV. p 258 sequ. A Platone de rep. IV, p. 441. C. *τὰ ἐν ἑνὸς ἑκάστου ψυχῇ γένη* dicuntur. coll. p. 442. B.

σθαι αὐτοῖς, καὶ τὸν τὰ αἰσχρὰ εἰδότα εὐλαβεῖσθαι σοφόν τε καὶ σώφρονα ἔκρινεν, et idem *τοὺς μὴ ὀρθῶς πράττοντας οὔτε σοφοὺς οὔτε σώφρονας* esse existimabat.*) His compara Memor. II, 6, 39. *Ὅσαι δ' ἐν ἀνθρώποις ἀρεταὶ λέγονται, σκοπούμενος εὑρήσεις πάσας μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας*, et III, 9, 2. *Νομίζω πᾶσαν φύσιν μαθήσει καὶ μελέτῃ πρὸς ἀνδρίαν αὔξεσθαι*, et IV, 1, 3. *τοὺς μὲν οἰομένους φύσει ἀγαθοὺς εἶναι, μαθήσεως δὲ καταφρονοῦντας, ἐδίδασκεν, ὅτι αἱ ἄρισται δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται* al. At qui ad hanc virtutis meditationem et usum (*μελέτην*) adolescentes optimis artibus impellunt, ii vere et proprie *σωφρονισταί*, quod nomen etiam civibus gymnasiorum inspectoribus Athenis datum, appellandi sunt, iisque convenit illud a Platone de rep. V, 16. (p. 471. A.) de diverso negotio dictum: *εὐμενῶς δὴ σωφρονιοῦσιν, οὐκ ἐπὶ δουλείᾳ κολάζοντες οὐδ' ἐπ' ὀλέθρῳ, σωφρονισταὶ ὄντες, οὐ πολέμιοι*, atque existent ex tali disciplina, qui continua exercitatione experti virtutis constantiam ostendant, veri illi philosophi ad sententiam Platonis de rep. VI. c. 1. (p. 484. A.) *φιλόσοφοι μὲν οἱ τοῦ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως ἔχοντος δυνάμενοι ἐφάπτεσθαι, οἱ δὲ μή, ἀλλ' ἐν πολλοῖς καὶ παντοίως ἴσχουσι πλανώμενοι οὐ φιλόσοφοι.*

Apparet jam ex iis, quae hactenus exposuimus, ad quem tandem finem Graecorum prudentia institutionem juvenilem direxerit; id enim agebatur, ut ingenii vires reconditae in pueris et implicitae excuterentur, animi ad veri

---

*) Quod Bornemannus Xenoph. l. c. verba *σοφόν τε καὶ σώφρονα* uncis inclusit ut aliena et adulterina et frigida, libris non addicentibus, id injuria videtur fecisse. Ipsa enim disputationis ratio ostendit, intelligentiam boni et mali et convenientem usum proxime conjungi et utrumque ad verae sapientiae notionem referri, ut scriptorem pateat breviore verborum complexu duas sententias in unam conjunxisse, quum plenius dicere potuisset: *τὸν τὰ καλά τε καὶ ἀγαθὰ γιγνώσκοντα καὶ χρώμενον* vel *καὶ χρῆσθαι αὐτοῖς γιγνώσκοντα*, et *τὸν τὰ αἰσχρὰ εἰδότα καὶ εὐλαβεῖσθαι αὐτὰ εἰδότα*, quod non fefellit editores antiquiores, vel etiam *ὥστε χρῆσθαι αὐτοῖς* et *ὥστ' εὐλαβεῖσθαι.* Multa talis epexegesis exempla congessit Stallb. ad Plat. de rep. I. p. 54. (p. 342. B.) et ad Gorg. p. 226. (p. 513. E.) et ad Criton. p. 159. (p. 52. B.) et ad Phaedr. p. 64. (p. 242. B.) Quod ad Phaedri locum cit. Stallbaumius eundem usum participio vindicat, id quidem verissimum est, sed nolim ad hanc rem abusum eum esse loco Soph. Antig. 24. *σὺν δίκῃ χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονὸς ἔκρυψε*, ubi in participio addito minima est difficultas, graviores in forma *χρησθεὶς* pro *χρησάμενος* et in conjunctis *δίκῃ δικαίᾳ*. Altius sedet ulcus. Conjeci *προσχὼν* vel *προφὰς δίκαια*, vel, quod propius est ad literarum vestigia, *σκήψει δικαίᾳ*.

bonique cognitionem, fortitudinem, morumque sanctitatem non impetu aliquo et temere, sed consilio certaque constantia exercendam disciplina et usu conformarentur, atque ita amabilis illa virtutis effigies, quam perfectam et absolutam in his taris illi non viderant neque conspecturos se sperabant, tamen quantum fieri posset, omni sentiendi, dicendi agendique ratione exprimeretur.*) Itaque non jubebantur discere juvenes, quaecunque ad aliquam quotidianae vitae utilitatem conducere possent, et multiplici inconditaque scientia memoriam implere, quod nunc misellis puerulis saepe accidit, ut omnes scientias, barbare enim loquimur de instituto a vera humanitate alienissimo, ingenio complexi videantur, sed ea bene cognoscere et firmiter tenere et usu augere, quae ingenium excitarent, solertiam acuerent, imaginandi facultatem augerent, animum optimis jucundissimisque affectibus commoverent.**) Quae omnia cum

---

*) *Jacobs* l. c „Denn während die Erziehung und der Gebrauch des gesitteten Lebens die überschwängliche Kraft durch heilsame Schranken in sich zurück drängte, verstattete sie dem Geiste freye Entwickelung, indem sie nur die Ziele bezeichnete, nach denen sein Streben gerichtet seyn sollte. Die neuere Pädagogik hat sich dagegen bey ihren zahllosen wohlgemeinten Versuchen bisweilen bis zu einer Willkühr verirrt, die durch die milden Formen, unter denen sie sich verbarg, nur gefährlicher wurde. *Die Bildung des Menschen soll nicht die Vollendung einer Maschine seyn, sondern das Werk der sich selbst vollendenden Freyheit.*“

**) Eundem *Jacobsium* loquentem inducimus, quem v. libri cit. p. 254., ubi de cupiditate et necessitate multa sciendi agit. „Es ist oft wiederholt worden, dafs es bei der Bildung der Jugend weit weniger auf das ankomme, was man lerne, als auf die Art, wie es gelernt wird, und dafs das Hesiodische, „die Hälfte sey oft besser als das Ganze,“ hier eine Anwendung leide. Anhäufung des Wissens um des Wissens willen bringt keinen Segen; und jede Erziehung, bey welcher die Eitelkeit das Zepter führt, verfehlt ihren Zweck. Nicht alles soll die Jugend lernen, was sich künftig einmal zum Gebrauche anbietet (wobey man wohl, wie *Aristoteles* Polit. VIII, 5. scherzend bemerkt, auch zur Kochkunst herabsteigen müsste); sondern nur Einiges, was den Geist nach allen Seiten hin anregt, den Verstand schärft, die Einbildungskraft belebt, und das Gemüth wohlthätig bewegt. Es ist nicht blofs in wissenschaftlicher, sondern auch ganz vorzüglich in sittlicher Rücksicht wichtiger, Einer Sache mächtig, als mit vielen oberflächlich bekannt zu seyn. *Wissen stärkt; Vielwisserey bläht auf; gelehrte Aufgeblasenheit aber ist wohl die unseligste Mitgabe, die ein Jüngling aus der Schule in das Leben bringen kann. Sie ist schon darum verhasst, weil sie gemein ist. Gemeinheit aber in Rücksicht auf Wissenschaft und Kunst herrscht überall bey denen, die von dem Baume der Erkenntnifs weder die Wurzel noch den Gipfel kennen.*“ cf. quem ille excitavit, *Fr. Thiersch über gelehrte Schulen* p. 437.

longa demum consuetudine et prudentia et exercitatione ad certam stabilemque intellectus et studii et actionis congruentiam vel ab optimis hominibus effingi possint, non disciplina et quamvis facundis artis praeceptis tradi et inculcari, jure negaverunt Socratici, doceri posse virtutem (*διδακτὸν εἶναι τὴν ἀρετήν*), quum magistrorum cura via quidem ostendatur, subsidia afferantur, singulae virtutes laudibus suis commendentur, vitia contraria notentur et, si fieri possit, amoveantur, ipsa autem virtus, ut in qua totius hominis plena et consummata perfectio atque absolutio cernatur, ut divinae originis conscientia, ita perpetua universae vitae commentatione, exercitatione, meditatione acquiratur.

Iam quaerentibus nobis, quam viam sapientissimi viri ad tam egregium finem instituerint, quid prius et potius, quid posthabendum censuerint, valde opportunus est locus, quem Io. Stobaeus servavit Florileg. c. 43. (ed. Gaisford. Lips. P. II. p. 109.) ex Hippodami Pythagorei libro *περὶ πολιτείας* excerptus, quo societatis humanae communio cum lyrae concentu comparatur, isque tribus maxime rebus effici dicitur, *λόγοις, ἐπιτηδεύμασιν ἐθῶν, νόμοις, institutione, morum disciplina, legibus*, ea omnia autem ad triplicem finem referuntur, ad *pulcrum* et ad *justum* et ad *utile*, hac addita lege, ut, si fieri possit, haec tria voluntate et opera nostra simul appetamus, sin minus, duo, omnino pulcrum primo loco, justum secundo, utile tertio ponatur. *)

Sed quicquid ad animi cultum et eruditionem tanquam ad Musarum religionem pertinet, id constat a Graecis *musicae* nomine contineri, quum omnia, quibus corpus exercetur, ad *gymnasticam* referantur, de quo usu dicendi quum a multis aliis**), tum a nobis ipsis in libello, quem ante hoc triennium emissum de oratoribus Graecis egregiis institutionis publicae magistris inscripsimus, expositum fuerit, nunc Platonica potissimum comparantibus brevio-

---

*) *Δεῖ δὲ τὰ τρία ταῦτα συντετάχθαι ποτί τε τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον καὶ τὸ δίκαιον, καὶ ἐν ἑκάστῳ αὐτῶν, εἰ μὲν δυνατόν, στοχάζεσθαι πάντων· εἰ δὲ μή γε, δυοῖν ἢ ἑνός· ὥστ' εἶναι καὶ τὸν λόγον καλὸν καὶ δίκαιον καὶ συμφέροντα, καὶ τὸ ἔθος, καὶ τὸν νόμον· προτιμῆσθαι δὲ πρᾶτον τὸ καλόν, δεύτερον δὲ τὸ δίκαιον, τρίτον δὲ τὸ συμφέρον.* Egregie commentatus est de h. l., coll. Aristot. Polit. VIII, 2 et 3., Jacobs l. c. p. 68., et in literarum studiis eandem legem valere ostendit p. 76. sequ.

**) cf. *Jacobs* l. c. p. 164. sequ. et *Wachsmuth* l. c. p. 64. et 378.

ribus quidem esse licet, sed ita ut ex instituti nostri ratione nonnulla repetamus. Igitur Plato, ubi de ratione optimae disciplinae agit de rep. II. c. 17. (p. 376. E.): *Τίς οὖν ἡ παιδεία; ἢ χαλεπὸν εὑρεῖν βελτίω τῆς ὑπὸ τοῦ πολλοῦ χρόνου εὑρημένης; ἔστι δέ που ἡ μὲν ἐπὶ σώμασι γυμναστική, ἡ δ᾽ἐπὶ ψυχῇ μουσική*, et a musica incipiendum dicit et ad eam *λόγους*, sermones s. bene et ordine dicendi disserendique facultatem, pertinere, unde *εὐλογία καὶ εὐαρμοστία καὶ εὐσχημοσύνη καὶ εὐρυθμία* ab ea deducuntur, quibus oppositae sunt *ἀσχημοσύνη καὶ ἀρρυθμία καὶ ἀναρμοστία, κακολογίας καὶ κακοηθείας ἀδελφά* (de rep. III. p. 401. A. sequ.), additque: *Ἆρ᾽ οὖν τούτων ἕνεκα κυριωτάτη ἐν μουσικῇ τροφή, ὅτι μάλιστα καταδύεται εἰς τὸ ἐντὸς τῆς ψυχῆς ὅ τε ῥυθμὸς καὶ ἁρμονία, καὶ ἐρρωμενέστατα ἅπτεται αὐτῆς, φέρει τε τὴν εὐσχημοσύνην καὶ ποιεῖ εὐσχήμονα, ἐάν τις ὀρθῶς τραφῇ, εἰ δὲ μή, τοὐναντίον* (p. 401. D.); Idem de rep. III. p. 404. B. veram gymnasticam quodammodo sororem esse dicit simplicis h. e. incorruptae et non temeratae musicae, ut simplicem et rationi suae convenienter institutam, atque adeo qui utramque bene conjunxerit et commodissime animo humano admoverit, eum optimae musicae perfectissimique concentus esse peritissimum iisque, qui chordarum concentum temperare sciat, longe peritiorem (*τὸν κάλλιστα μουσικῇ γυμναστικὴν κεραννύντα καὶ μετριώτατα τῇ ψυχῇ προσφέροντα τοῦτον ὀρθότατ᾽ ἂν φαῖμεν εἶναι τελέως μουσικώτατον καὶ εὐαρμοστότατον, πολὺ μᾶλλον ἢ τὸν τὰς χορδὰς ἀλλήλαις ξυνιστάντα* (p. 412. A.). Iam quum triplicem facultatem animo humano tribuat, *λόγον* s. *τὸ λογικόν, θυμὸν* s. *τὸ θυμικόν, τὸ θυμοειδές*, et *ἐπιθυμίαν* s. *τὸ ἐπιθυμητικόν*, de rep. IV. p. 441. extr. ostendit, quomodo artes illae copulatae animi partes inter se conciliare atque ad justissimum modum temperare possint. *Ἆρ᾽ οὖν οὐχ, ὥςπερ ἐλέγομεν, μουσικῆς καὶ γυμναστικῆς κρᾶσις ξύμφωνα αὐτὰ* (partes s. facultates s. genera animi humani) *ποιήσει, τὸ μὲν* (*τὸ λογιστικὸν*) *ἐπιτείνουσα καὶ τρέφουσα λόγοις τε καλοῖς καὶ μαθήμασι, τὸ δὲ* (*τὸ θυμοειδὲς*) *ἀνιεῖσα, παραμυθουμένη, ἡμεροῦσα ἁρμονίᾳ τε καὶ ῥυθμῷ; Καὶ τούτω δὴ οὕτω τραφέντε καὶ ὡς ἀληθῶς τὰ αὑτῶν μαθόντε καὶ παιδευθέντε προστήσετον τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, ὃ δὴ πλεῖστον τῆς ψυχῆς ἐν ἑκάστῳ ἐστὶ καὶ χρημάτων φύσει ἀπληστότατον· ὃ τηρήσετον μὴ τῷ πίμπλασθαι τῶν περὶ τὸ σῶμα καλουμένων ἡδονῶν πολὺ καὶ ἰσχυρὸν γενόμενον οὐκ αὖ τὰ αὑτοῦ πράττῃ, ἀλλὰ καταδουλώσασθαι καὶ ἄρχειν ἐπιχειρήσῃ ὧν οὐ προςῆκον αὐτῷ γενῶν* (h. e. generum s. partium animi), *καὶ ξύμπαντα τὸν βίον πάντων ἀνατρέψῃ*, quem locum ita interpretamur: Nonne igitur musicae et gymnasti-

cae temperatio concinnitatem efficit partium animi, ita ut mentem intendat alatque optima sermonis disciplina, animi autem fervorem remittat et mitiget et mansuefaciat modorum numerorumque concentu? Itaque hae duae animi partes ubi ita enutritae revera quae iis conveniunt didicerint et institutione perceperint, principatum tenebunt tertiae, cupiditatis, quae fere gravissima in quoque vis animi est et natura sua insatiabilis, quam illae custodient, ne exhaustis corporis quae dicuntur voluptatibus justo validior non suam rem agat, sed subjicere imperio suo conetur eas animi partes, quibus nefas est eam imperare, atque ita universam omnium vitam evertat.

Ex his apparet, cur philosophia ipsa h. e. rerum optimarum cognitio s. humanitatis disciplina Phaedon. p. 61. A. *ἡ μεγίστη μουσική* *), et Leg. II. p. 689. D. sapientia *ἡ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν ξυμφωνιῶν*, et vir sapientiae illius studiosus Lachet. p. 188. D. *κομιδῇ μουσικός, ἁρμονίαν καλλίστην ἡρμοσμένος οὐ λύραν οὐδὲ παιδιᾶς ὄργανα, ἀλλὰ τῷ ὄντι ζῆν ἡρμοσμένος αὐτὸς αὑτοῦ τὸν βίον σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα*, at qui negligant tales artes, *ἄμουσοι καὶ ἀσχήμονες* et *ἄῤῥυθμοι, ἀπειρόκαλοι* **) dicantur, et veritas et cognitio veri ipsi *ἐμμετρίᾳ* comparetur, denique *ἐμμελέως* et *μεμελημένως*, quod non curae tantum, sed etiam artis est, aliquid facere nihil aliud esse quam *scite, apte, justis pulcrisque numeris composite.*

---

*) v. Wyttenb. et Heindorf. ad h. l., Stallbaum. ad Protag. p. 340. A. *καὶ γὰρ οὖν καὶ δεῖται τὸ ὑπὲρ Σιμωνίδου ἐπανόρθωμα τῆς σῆς μουσικῆς* h. e. tua cognitione doctaque interpretatione.

**) De rep. VI. p. 486. D. *Ἀλλ᾽ οὐ μὴν τό γε τῆς ἀμούσου τε καὶ ἀσχήμονος φύσεως ἄλλοσέ ποι ἂν φαῖμεν ἕλκειν ἢ εἰς ἀμετρίαν. — Ἔμμετρον ἄρα καὶ εὔχαριν ζητῶμεν πρὸς τοῖς ἄλλοις διάνοιαν φύσει, ἣν ἐπὶ τοῦ ὄντος ἰδέαν ἑκάστου τὸ αὐτοφυὲς εὐάγωγον παρέξει.* Protag. p. 326. B. *καὶ τοὺς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκάζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων* (carminum lectione et recitatione), *ἵνα ἡμερώτεροί τε ὦσι, καὶ εὐρυθμότεροι καὶ εὐαρμοστότεροι γιγνόμενοι χρήσιμοι ὦσιν εἰς τὸ λέγειν τε καὶ πράττειν· πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται.* Et de rep. III. p. 411. E. *Μισόλογος ὁ τοιοῦτος* (np. *ὁ μὴ κοινωνήσας Μούσης μηδαμῇ*) *γίγνεται καὶ ἄμουσος, καὶ πειθοῖ μὲν διὰ λόγων οὐδὲν ἔτι χρῆται, βίᾳ δὲ καὶ ἀγριότητι ὥσπερ θηρίον πρὸς πάντα διαπράττεται, καὶ ἐν ἀμαθίᾳ καὶ σκαιότητι μετὰ ἀῤῥυθμίας τε καὶ ἀχαριστίας ζῇ.* Denique de rep. VII. p. 522. A. *ἡ μουσικὴ ἀντίστροφος* dicitur *τῆς γυμναστικῆς, κατά τε ἁρμονίαν εὐαρμοστίαν τινὰ παραδιδοῦσα, καὶ κατὰ ῥυθμὸν εὐρυθμίαν.*

Valde diversa est ab amplissima illa musica ea, quae vulgo ita dicitur, *ἡ δημώδης μουσική* (Phaedon. p. 61. A.), quam quidem laude sua non fraudarunt optimi magistri*), maxime cum carminum recitatione conjunctam, sed ne moribus officeret magis quam prodesset, diligentissime cavebant. Non attinet hoc loco exponere de diversis modis musicis, qui partim graviores erant et fortiores, partim molliores (cf. Platon Lachet. p. 188. D., ubi illi modi conjunguntur, *δωριστί, ἰαστί, φρυγιστί, λυδιστί*, quibus adde *αἰολιστί*, et ex l. III. de rep. p. 398. E. *θρηνώδεις ἁρμονίαι, μιξολυδιστί, καὶ συντονολυδιστί, καὶ τοιαῦταί τινες*, de quibus omnibus v. *Boeckh.* de metris Pindar. p. 237. sequ.); sed id monemus, damnatos fuisse a viris sapientibus dulces et molles et flebiles modos (*τὰς γλυκείας τε καὶ μαλακὰς καὶ θρηνώδεις ἁρμονίας*, de rep. III. p. 411. A.), quibus animus sopitus et tanquam liquefactus ut nervis excisis omnem fortitudinem amittat; *nihil enim* existimabant illi *tam facile in animos teneros et molles influere quam varios canendi sonos, quorum dici vix possit quanta vis sit in utramque partem*, quibus verbis Cicero de Leg. II, 15, 38. illustrem locum Platon. de rep. IV. p. 424. D. more suo libere interpretatus est, *namque et incitare languentes, et languefacere excitatos, et tum remittere animos, tum contrahere.* Iam quum carmina et carminum recitatio ad citharae lyraeve concentum facta aut ad divinum cultum sacrasque cerimonias, aut ad fortium virorum rerumque ab iis gestarum laudes propria quasi et peculiari ratione et usu pertineant, ut modo colligantur animi atque ex strepitu forensi in ordinem et tranquillitatem redigantur, modo excitentur et ad subliiniores sedes erigantur, modo ad gnaviter audendum impellantur, elucet, id quod in nostram aetatem egregie convenit, divinae illi arti recte digneque usurpatae magnam partem in disciplina juvenili summo jure tribui, at mollitae ad ignaviam et dulcedine corruptelaque depravatae, si vel maxime delicatioribus hominibus placeat, aditum ad teneros animos a prudentioribus praecludi.

Priusquam ad singula genera ejus institutionis, quae musica disciplina continetur, progrediamur, de altera parte dicendum, quae quum corpora potissi-

---

*) De musica Graecorum v. *Jacobs* l. c. p. 27. et p. 262. sequ., *Wachsmuth.* l. c. p. 70. et p. 423. sequ., *Cramer.* l. c. P. l. p. 202 sequ. et p. 275 sequ., et sigillatim de musica Dorum *Jacobs* p. 168 sequ. et Odofr. *Mueller.* Doric. Vol. II. p. 316. sequ.

mum curare videatur, artissimo naturae nexu in animis pariter ad omnem fortitudinem excitandis corroborandisque versatur. Et de *arte* quidem *gymnica* ab omnibus populis antiquis studiosissime exercitata, et multum commendata ab Atheniensium viris sapientissimis, qui quum Dores bellica virtute et constantia prae ceteris Graecis maxime excellere vidissent, suorum mores luxuria effeminatos et ad omnem corruptelam depravatos per illam ad priscam severitatem restitui posse existimantes Spartanorum instituta non sine magna popularium invidia praedicabant, igitur de arte gymnica, postquam nostra aetate revixit et a partium studiis ad justam rationem legitimumque ordinem revocata est, quicquid antiquitus compertum habemus, fere excussum et tralaticium est.*) Neque id nobis agendum, ut sexcenties descripta nunc repetamus, sed qui modus, qui fines huic disciplinae statuendi sint, Graecorum, maxime Platonis exemplo doceamus. Et prudentissimos in hoc negotio fuisse legum Atticarum auctores Draconem et Solonem, Aeschines in orat. c. Timarch. (p. 252. ed. Bekker.) luculentissimo loco testatur, cum quo comparavit Iacobsius p. 195. l. c. geminos, alterum Aristophanis Nub. 960—997., quo prisci temporis mores cum recentissimis comparantur, alterum Plauti Bacchid. III, 3, 16. sequ. ex Graeco fonte petitum. Nimirum non iis indulgendum est, *quibus*, ut Quintilianus ait 1, 11, 15. *pars vitae in oleo, pars in vino consumitur, qui corporis cura mentem obruerunt*; hos enim ut ille quam longissime abesse velimus, sed eos magistros et eas artes expetimus, quibus gestus motusque formentur. Atque ad eam sententiam Plato de rep. p. 403. D. post musicam, quam ampliore significatu dixit, gymnastica adole-

*) De gymnastica Dorum, maxime Spartanorum, v. *Schwarz.* l. c. p. 293. sequ., *Cramer.* hist. educ. T. I. p. 181 sequ. et 213 sequ., *Wachsmuth.* l. c. p. 9. et 51 sequ., *Odofr. Mueller.* Doric. Vol. II. p. 299. sequ., Atheniensium *Cramer.* l. c. p. 211. sequ., *Schwarz.* p. 365 sequ., *Wachsmuth.* p. 55. sequ., *Jacobs.* p. 18. et. 170 sequ. Hic p. 176. sequ. comparatis iis artibus, quibus nunc a plerisque, maxime a delicatioribus, corpora ad agilitatem et venustatem formantur, de ratione artis gymnasticae apud nos restituendae et de morum disciplina cum illa conjungenda praeclare exposuit. (Inscripta sunt capita: *Deutsche Gymnastik*, *Zweck der Gymn.*, *Pädagogen*, *Sittlichkeit der Gymnastik.*) cf. quae Thierschius in praef. Pindari Jahnio inscripta monuit. Artem gymnasticam ad nostrae aetatis rationem emendatam praeceptis excoluerunt Gutsmuthius et Jahnius in libris pervulgatis, quibus compilatis librum satis utilem nuper edidit Wernerus, id certe meritus, quod opportuno tempore ad corporum disciplinam, nimis diu neglectam, animos convertit.

scentes a pueris per totam vitam exercendos dicit, sed non corpori id juris esse, ut quamvis praestabile virtute sua animum bonum reddat, contra bonum animum sua virtute corpus quam praestantissimum reddere. *) Idem l. III. p. 410. B. in gymnasiis non ad athletarum morem corporum robur, sed animi fortitudinem, *τὸ θυμοειδές*, excoli jubet, utramque enim artem, musicam et gymnasticam, conjungendam et ad animi perfectionem referendam esse, ne hac modo excitati ferocitatem et contumaciam (*ἀγριότητά τε καὶ σκληρότητα*), illa mansuefacti mollitiem et languorem (*μαλακίαν τε καὶ ἡμερότητα*) induant, musica sola frangi animum et enervari, de qua re supra vidimus, gymnastica, remotis gravioribus studiis, ad optima quaeque infirmari et tandem prorsus efferari **), sensibus quasi captum omnique rerum intelligentia orbatum, at-

---

*) *Ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐ φαίνεται, ὃ ἂν χρηστὸν ᾖ σῶμα, τοῦτο τῇ αὑτοῦ ἀρετῇ ψυχὴν ἀγαθὴν ποιεῖν, ἀλλὰ τοὐναντίον ψυχὴ ἀγαθὴ τῇ αὑτῆς ἀρετῇ σῶμα παρέχειν ὡς οἷόν τε βέλτιστον·* p. 403. D. cf. l. IX. p. 591. C. *Ὅ γε νοῦν ἔχων — τὴν τοῦ σώματος ἕξιν καὶ τροφὴν οὐχ ὅπως τῇ θηριώδει καὶ ἀλόγῳ ἡδονῇ ἐπιτρέψας ἐνταῦθα τετραμμένος ζήσει, ἀλλ' οὐδὲ πρὸς ὑγίειαν βλέπων οὐδὲ τοῦτο πρεσβεύων, ὅπως ἰσχυρὸς ἢ ὑγιὴς ἢ καλὸς ἔσται, ἐὰν μὴ καὶ σωφρονήσειν μέλλῃ ἀπ' αὐτῶν, ἀλλ' ἀεὶ τὴν ἐν τῷ σώματι ἁρμονίαν τῆς ἐν τῇ ψυχῇ ἕνεκα ξυμφωνίας ἁρμοττόμενος φανεῖται.*

**) *Ἐπειδὰν ἄλλο μηδὲν πράττῃ μηδὲ κοινωνῇ Μούσης μηδαμῇ, οὐκ εἴ τι καὶ ἐνῆν αὐτοῦ φιλομαθὲς ἐν τῇ ψυχῇ, ἅτε οὔτε μαθήματος γευόμενον οὐδενὸς οὔτε ζητήματος, οὔτε λόγου μετίσχον οὔτε τῆς ἄλλης μουσικῆς, ἀσθενές τε καὶ κωφὸν καὶ τυφλὸν γίγνεται, ἅτε οὐκ ἐγειρόμενον οὐδὲ τρεφόμενον, οὐδὲ διακαθαιρομένων τῶν αἰσθήσεων αὐτοῦ. — Μισόλογος δὴ ὁ τοιοῦτος γίγνεται καὶ ἄμουσος, καὶ πειθοῖ μὲν διὰ λόγων οὐδὲν ἔτι χρῆται, βίᾳ δὲ καὶ ἀγριότητι ὥσπερ θηρίον πρὸς πάντα διαπράττεται καὶ ἐν ἀμαθίᾳ καὶ σκαιότητι μετὰ ἀῤῥυθμίας τε καὶ ἀχαριστίας ζῇ*, ubi cum Astio et Schneidero lectionem optimorum librorum *διαπράττεται* praeferendam puto conjecturis Morgensternii *διαράττεται* et Stallbaumii *διαταράττεται*, atque etiam magis aliorum librorum lectioni *διατάττεται*, quae neque bestiae neque ferocitati ejus et violentiae convenit. cf. de rep. IX. p. 586. C. *ὃς ἂν αὐτὸ τοῦτο διαπράττηται ἢ φθόνῳ ἢ βίᾳ ἢ θυμῷ* sequ. et Sympos. p. 181. B. *ὡς ἂν δύνωνται ἀνοητοτάτως, πρὸς τὸ διαπράξασθαι μόνον βλέποντες*, ubi v. ipsum Stallb. —. Ceterum paucis optime judicavit de exercitiis gymnicis nostrorum adolescentium *Wolfius* Consil. schol p. 139. „Auch der Körper mufs früh gymnastisch geübt werden, aber mit sorgfältiger Rücksicht auf die jedesmalige subjective Natur, da dem Einen diese, dem Andern eine andere Uebungsart nützlicher ist. — Bei allen aber mäfsig, und hauptsächlich zur Erholung und Stärkung der Gesundheit, nicht um grofser Leibesstärke willen, was schon die alten weisen Griechen wollten, seitdem sie den Nachtheil übertriebner Leibesübungen erkannt hatten."

que inde eruditionis odium oriri et saevitiam cum putidissima inscitia et stoliditate conjunctum; itaque deum aliquem has artes non in animi vel in corporis gratiam, nisi forte ad subitaneam aliquam remissionem, dedisse, sed ad animi facultates, quae rerum intellectu et agendi fervore cernantur (*ἐπὶ τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ φιλόσοφον*, v. supra) excolendas, ut vel intentae illae vel remissae ad justum modum revocentur (*ὅπως ἂν ἀλλήλοιν ξυναρμοσθῆτον ἐπιτεινομένω καὶ ἀνιεμένω μέχρι τοῦ προσήκοντος.*) Hanc vero rationem secuti, copia nobis facta a summis viris, qui scholae nostrae praesunt, instaurandi ordinandique exercitationes gymnicas, id quidem maxime cavimus, ne literarum studiis nimia pars temporis eriperetur, neve temere mixtis, qui aetate et viribus impares essent, insolentiae et rusticitati aliqua fenestra aperiretur, praeterea ut custode nunquam remoto omnia ratione et ordine agerentur, sed circumspectis amotisque, quae officere possent, et necessario instrumentorum apparatu affatim subministrato, praesertim misso ad regendam hanc disciplinam viro impigro et modesto, artis peritissimo, rem alacriter sumus aggressi, cujus operae hunc fructum tulimus, ut adolescentes nostri corporibus validiores, gestibus motibusque habiliores, sed neque tardiores ad severiora literarum studia, neque asperiores moribus vel ad obsequium intractabiliores evaserint. Qui ubi, uti coeperunt, in laudabili hoc corporum animorumque certamine perrexerint, tum ornatum illum vitae cultaeque humanitatis concinnitatem praestabunt, qua optimi antiquae aetatis magistri ut jucundissimo spectaculo delectabantur, *κόσμον* *) dico et *εὐκοσμίαν, εὐταξίαν, σωφροσύνην.*

Conqueruntur fere, redeundum enim est ad literarum studia, a quibus ars gymnica paulisper nos avocaverat, parentes, magistri, et quicunque bene consultum cupiunt futurae aetati, nimis onerari nostro tempore adolescentes ipsosque pueros multa multiplicique rerum discendarum farragine, ita memoriam augeri, exerceri diversissimarum rerum scientiam, sed ingenia mature frangi, et tandem ad veram intelligentiam debilitari, longe praestabiliorem veterum hominum conditionem fuisse, eique deberi illustria illa cujusque solertiae monumenta, quae hodie admiramur. Sunt sane in eorum numero multi, qui ipsi delicatius enutriti omnem vel saluberrimam severitatem aversantur, vel quae ipsi non didicerunt, aliis impertiri nolunt, vel perfectiori animorum vir-

---

*) De voc. *κόσμος* v. Godofr. Mueller. ad Dor. P. II. p. 6. et 19., et Amad. Wend. ad Tennemann. hist. philos. P. I. p. 124. et 143. et 149. A Platone *ξύνταξις* fere dicitur et *ξυμφωνία.*

tuti commoditatem vitae antehabendam existimant. Hos non audiendos esse rerum periti consentiunt; sed hi ipsi, non prorsus inanes esse illas querelas, libere profitentur, et, quid vir doctissimus Jacobsius et cum eo multi simili gravitate judicaverint de insana multa sciendi docendique cupiditate, supra commemoravimus. *) Restat igitur, ut de finibus institutionis nonnulla adjiciamus, continuata antiqui nostrique moris comparatione, atque in fronte disputationis haec verba ponimus Gellii N. A. XIII, 16. *Qui verba Latina fecerunt quique his probe usi sunt, humanitatem non id esse voluerunt quod vulgus existimat, quodque a Graecis φιλανθρωπία dicitur, et significat dexteritatem quandam benivolentiamque erga omnes homines promiscuam; sed humanitatem appellaverunt id propemodum quod Graeci παιδείαν vocant, nos eruditionem institutionemque in bonas artes dicimus, quas qui sinceriter cupiunt appetuntque, hi sunt vel maxime humanissimi; hujus enim scientiae cura et disciplina ex universis animantibus uni homini data est, iccircoque humanitas appellata est.* Intelligimus igitur, *humanitatem* esse illam *μουσικήν*, de qua supra diximus, atque id unice agi, ut juvenes ad sentiendi, dicendi, agendi integritatem, uno verbo, ut ad veram virtutem, quae itidem maxima sapientia est, omnis institutionis concentu dirigantur. **) Jam

---

*) Non recens haec est criminatio; Protagoras enim apud Platonem (Protag. p. 318. E.) Hippiam sophistam carpens, *ἐπιστάμενον τὰ περὶ τὰ ἄστρα τε καὶ τὰ οὐράνια πάθη* (Hipp. maj. p. 285. C.) et *ἀκριβέστατα ἀνθρώπων ἐπιστάμενον διαιρεῖν περί τε γραμμάτων δυνάμεως καὶ συλλαβῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν*, ita describit ejusmodi magistros: *οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι λωβῶνται τοὺς νέους· τὰς γὰρ τέχνας αὐτοὺς πεφευγότας ἄκοντας πάλιν αὖ ἄγοντες ἐμβάλλουσιν εἰς τέχνας, λογισμούς τε καὶ ἀστρονομίαν καὶ γεωμετρίαν καὶ μουσικὴν διδάσκοντες*, et Menon. p. 94. B. Pericles, summus vir, filios dicitur docuisse *καὶ μουσικὴν καὶ ἀγωνίαν καὶ τἄλλα ὅσα τέχνης ἔχεται*, sed *ἀγαθοὺς ἄνδρας* eos non reddidisse. cf. Protag. p. 320. A. *Περικλῆς τούτους, ἃ μὲν διδασκάλων εἴχετο, καλῶς καὶ εὖ ἐπαίδευσεν, ἃ δὲ αὐτὸς σοφός ἐστιν, οὔτε αὐτὸς παιδεύει οὔτε τῳ ἄλλῳ παραδίδωσιν, ἀλλ' αὐτοὶ περιιόντες νέμονται ὥσπερ ἄφετοι, ἐάν που αὐτόματοι περιτύχωσι τῇ ἀρετῇ.*

**) *Wolf.* Consil. schol. p. 24. „Hic autem errant plerique vulgo, quum educationi et institutioni et doctrinae eundem finem statuunt, quem vel naturae vel societati humanae propositum putant; siquidem educamur tantum eo consilio, ut in nobis singulis nihil sit impedimenti, quo minus fines universi remotiores illos assequamur (Ita enim leg. pro eo, quod Koertius edidit *assequantur*). Ipsi vero educationi, quae ad singulos homines pertinet, nihil temere proponi aliud potest, ad quod dirigatur, nisi cultura et corporis et animi, ducens ad perfectionem humanitatis."

quum omnes artes sellularias, *βαναύσους*, ab ingenuis adolescentibus gravissime amoverent veteres homines, *grammaticam*, *arithmeticam et geometricam*, inde *stereometriam* et *astronomiam*, et *musicam*, quae proprie sic dicitur, denique *dialecticam*, non sophisticam illam, sed quae de natura rerum sensibus majorum quaerit et ipsa scientia rerum est, in summis humanae disciplinae praesidiis commemorant, auctore Platone, cujus liber septimus de republica inde a p. 521. C. in enarrandis iis occupatur. De his igitur deinceps videamus, ut appareat, non de copia multiplicis scientiae, sed de vera animi eruditione a Platone maxime fuisse cogitatum.

Et *grammaticae* quidem disciplinae initia ad linguae elementa redeunt, quibus prima aetas impertitur. Lepide eam disciplinam puerorum describit apud Platonem Protagoras (Protag. p. 325. C. sequ., cum quo loco comparandus geminus Leg. VII. p. 810. A. sequ.), qui illos domi a nutrice et matre et paedagogo et ipso patre assidue dicit de iis, quae honesta et turpia sint, admoneri, tum deductos ad magistros, grammatistas et citharistas, literas discere et citharae modos, inde imbutos literarum elementis *) in subselliis bonorum poetarum carmina legere et memoriae mandare, et alia rursus carmina lyricorum apud citharistas ad modos numerosque astringere, atque eo labore ipsos ad *εὐρυθμίαν* et *εὐαρμοστίαν* cogi, tum paedotribarum disciplinae traditos corpora corroborare et fortitudini assuescere, et has scholas omnes ditissimos pueros primos frequentare, postremos relinquere; tum dimissorum e schola curam rempublicam suscipere legibus ad discendum et exercendum datis, eamque grammatistarum more agere scribere discentibus lineolas praeducentium, ut illi ad legum normam tanquam ad lineam obsequium conforment et contra facientes puniantur. Quae omnia uti nostra aetate pariter instituuntur neque, ut res bene agatur, aliter fieri possunt, ita in eo maxime admiramur homines illos, quod cum linguae patriae cognitione antiquissimorum carminum, Homerica dicimus, in quibus et ultimae aetatis monumenta et omnis religionis publice receptae origines erant, recitationem ad modos numerosque factam conjungebant, tum vero ad Aesopum, vitae magistrum, inde ad lyricos, inter quos Simoniden, Solonem, Theognidem adamabant, pro-

---

*) De ratione grammatica elementa discendi v. *Dionys.* de admir. vi dicendi Demosth. c. 52. Tom. VI. p. 1114. sequ. Reisk. cf. *Cramer* l., c. p. 281.

grediebantur, postremo tragicorum arte et praeceptis ingenia excolebant. *) *Namque haec duo*, ut Cicero ait de Orat. III, 44. *poetae, qui erant quondam iidem musici, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem, et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt.*

Quod si ad eandem rationem hodie a primae aetatis magistris exerceretur, non assuefierent pueruli nostri rusticae patriae linguae pronunciationi, et optimorum poetarum carmina meditando ingeniis imprimerent, recitando ad primam sermonis facundiam fingerentur, eodemque tempore religionis monumenta et praecepta cognoscerent sensuque reciperent. **) Ceterum quod Grae-

*) Uberius de hoc studiorum progressu exposuit *Jacobs*. l. c. p. 282. sequ. capitibus sic inscriptis: *Dichtkunst*. p. 282. sequ., *Homer*. p. 290. sequ., *Lesen und Hören* p. 302. sequ., *die Tragödie* p. 306. sequ., *die Komödie* p. 322. sequ. cf. *Cramer* l. c. p. 282 sequ., et *Wachsmuth* l. c. p. 373. sequ. — *De efficaci ad disciplinam publicam privatamque vetustissimorum poetarum doctrina* dissertatio est *Heynii* (Opusc. academ. Vol. I. p. 166 sequ.). — De carminibus Homeri et aliorum poetarum a pueris memoriae mandatis v. *Nitzsch* de historia Homeri p. 9. et p. 36. sequ., et de Homericis praecipue quod majorum legibus sancitum fuisse dicunt Lycurg. c. Leocr. c. 26. et Isocrates Panegyr. c. 42., Id. in dissert. *de indaganda per Homeri Odysseam interpolatione* p. 27. 35. 47., et Id. in prolegom. ad Platon. Jon. p. 4. sequ. — De pietate Graecorum et institutione juvenili ad eam comparata v. Jacobs. praef. l. c. p. XXV. sequ. et p. 348. sub tit. *Religiosität des Heidenthums*.

**) Verissime *Wolfius* Consil. schol. p. 44. „Mehr als alles befördern Gedichte eine gute Bildung, und hier sollte kein Unterschied in den Ständen gemacht werden; nur mufs man durch schönes Vorlesen Empfindung erregen, und das Gelesene auswendig lernen lassen. Bis ins siebente und achte Jahr müssen Gedichte die Hauptsache seyn, denn auf dieses Alter macht die Poesie die trefflichste Wirkung, während es die höhere Schönheit der Prosa noch nicht empfinden kann; es geht hier wie mit der ganzen Nation: der Uebergang in die Prosa ist sehr schwer." Id. p. 142. „Es gehört durchaus zu den wichtigsten Aufgaben echter Staatsweisheit, wie durch reine, richtige Aussprache und schönen Vortrag in der Muttersprache die gemeinsame Cultur der weitverbreiteten Deutschredenden befördert werden könne. Und keineswegs eine nur verschönernde, an der Aussenseite glättende Cultur. Von hier aus vielmehr mufs wahre, alle Gemüthskräfte des Menschen mächtig ergreifende Bildung hervorgehen, wenn Energie und Anmuth der Rede in angemessenen Sprachtönen sich mittheilen lernen, und durch solchen Ausdruck ihren eigenen innern Gehalt erhöhen." (Ex orat. Wolfii, *Ueber ein Wort Friedrichs II.* inscripta.) Sciunt hoc Herrnhutiani, quorum pueruli hymnos sacros cantantes cum primo pietatis sensu linguae patriae artisque musicae elementa et discunt et exercent.

cis in una lingua patria elaborandum fuit, quam tamen ad omnes perfectae elocutionis formas egregie excoluerunt, id quidem effecit, ut illa ad ingeniosissimae gentis exemplum omnibus numeris absoluta et reliquis omnibus, quas solertia naturae humanae invenit, perfectior appareat; sed non deterior nostra est conditio, nam et patrio sermone utimur simillimo illi et infinitae culturae patientissimo, et comparata nostra aliisque linguis, quas paulatim addiscimus, non nimis difficili negotio, modo unam recte et ordine cognoverimus, non memoriam oneramus, sed ingenium ad diversissimas cogitandi et enunciandi formas exercemus.

Ad *grammaticam* disciplinam referre solebant veteres multa literarum genera, quae nunc diversis nominibus distinguuntur, ut universam *poeticam*, quum carminibus memoriae mandandis, recitandis, componendis linguam ipsam discerent,*) et *eloquentiam*, ad quam a carminibus cultissimo cuique populo tardior est transitus, denique rerum gestarum descriptionem, quam abusi voce *historicam* postea dixerunt, quae antiquitus ex singularum civitatum fabulis ore traditis, tum ex peregrinationibus et locorum hominumque cognitione, quod propie est *ἱστορεῖν*, novissime ex reipublicae administratione prodiit, quum iidem et duces et oratores et rerum scriptores (*συγγραφεῖς*) essent. Orbis terrarum ante Alexandrum, naturae cognitionem ante eundem et Aristotelem, omnino quicquid ad subtiliorem scientiam pertinet, ante principem hunc cujusvis eruditionis auctorem intra angustissimos fines substitisse, et proxima demum aetate ab Alexandrinis magistris, maxime ab Eratosthene, clariorem lucem accepisse, satis compertum est. Restat, ut de *mathematicis* dicamus, quibus tantum pretium statuit Plato, ut *ἀγεωμέτρους* a scholis suis prohiberet. Sed idem conqueritur de rep. VII. p. 528. B., in *stereometria* aequales suos valde haerere, neque enim in ulla civitate magni eam aestimari, neque idoneum hujus artis magistrum extare, qui si vel maxime extiterit, vix eventurum, ut a fastidiosa geometrarum superbia admittatur. Praeclarissimus autem locus est, qui de rep. VII. inde a p. 521. legitur. Ibi, prohibitis

---

*) De poetarum interpretatione, qualem sophistae factitabant, non dissimili ei, quam hodie multi in libris sacris factitant, v. Stallbaum. ad Protag. c. 26. (p. 338. extr.) coll. c. 29. (p. 343. C. sequ.) De tribus poeticae narrationis generibus v. Id. ad l. III. de rep. c. 6. (p. 394. D.)

civitatis suae administratione et imperio, quicunque manuum opus, *τέχνας βαναύσους* Graeci dicunt, faciant, quicquid disciplinae ad numerum et rationem (*ἀριθμόν τε καὶ λογισμόν*) pertineat, tum demum laudes suas mereri dicit, si non in externis rebus, quae nascantur et fiant, itaque quae in sensus cadant, subsistat, sed animos ad aeternas rerum formas extollat atque ita ad primam aeternamque omnis veritatis virtutisque notionem revertatur, *) et pariter astronomiam et musicam ad numerorum modorumque ordinem et constantiam ipsamque concordiae concentusque illius rationem esse referendas, ideoque *dialecticam*, quae tota sit in primarum notionum investigatione, ut quae sola *scientiae* nomine digna sit, principem locum obtinere. Et verissime ita judicavit. Quid enim differunt, qui sensibus et memoriae illas artes discunt, a mulierculis in foro olitorio rationes suas bene exigentibus, et a fabris tigna lapidesque bene construentibus, nisi ipsa animi facultas excitatur et per numerorum formarumque contemplationem ad summam scientiae rationem evehitur? Et quid tandem profecit genus humanum ex immensis illis Aegyptiorum operibus, quae proximae aetates admirari consueverunt? Miramur sane ingentes laboris humani conatus, sed laudamus, veneramur, pioque animo recolimus, quicquid ab aliis, maxime a Graecis, ad ingenia excitanda et animos ex quotidianae vitae sordibus ad illustriorem veri pulcrique cognitionem extollendos oris facundia et scriptorum monumentis in omnia tempora inven-

---

*) Plato de rep. VII. p. 521. D. *μάθημα ψυχῆς ὁλκὸν ἀπὸ τοῦ γιγνομένου ἐπὶ τὸ ὄν*, et p. 527. B. *ὁλκὸν ψυχῆς πρὸς ἀλήθειαν καὶ ἀπεργαστικὸν φιλοσόφου διανοίας πρὸς τὸ ἄνω σχεῖν ἃ νῦν κάτω οὐ δέον ἔχομεν.* cf. p. 523. E. *Κινδυνεύει (ἡ ἀριθμητικὴ) τῶν πρὸς τὴν νόησιν ἀγόντων φύσει εἶναι ὧν ζητοῦμεν, χρῆσθαι δ' οὐδεὶς αὐτῷ (τούτῳ τῷ μαθήματι) ὀρθῶς, ἑλκτικῷ ὄντι παντάπασι πρὸς οὐσίαν*, coll p. 524 D. Eadem *ἐγερτικὰ τῆς νοήσεως* et *ἀγωγὰ πρὸς ἀλήθειαν* dicuntur, et jubentur, qui rebus praeesse velint, *ἐπὶ λογιστικὴν ἰέναι καὶ καθάπτεσθαι αὐτῆς μὴ ἰδιωτικῶς, ἀλλ' ἕως ἂν ἐπὶ θέαν τῆς τῶν ἀριθμῶν φύσεως ἀφίκωνται τῇ νοήσει αὐτῇ, οὐκ ὠνῆς οὐδὲ πράσεως χάριν ὡς ἔμποροι ἢ κάπηλοι μελετῶντες, ἀλλ' ἕνεκα — αὐτῆς τῆς ψυχῆς ῥαστώνης μεταστροφῆς ἀπὸ γενέσεως ἐπ' ἀλήθειάν τε καὶ οὐσίαν*, h. e. quo facilius animus ab origine rerum iisque quae ante oculos nostros oriuntur ad ipsam veritatem naturae convertatur (p. 525. C). Denique p. 532. C. *πᾶσα αὕτη ἡ πραγματεία τῶν τεχνῶν ταύτην ἔχει τὴν δύναμιν καὶ ἐπαναγωγὴν τοῦ βελτίστου ἐν ψυχῇ πρὸς τὴν τοῦ ἀρίστου ἐν τοῖς οὖσι θέαν.* Ceterum cf. Stallb. Argum. l. VII. de rep.

tum et praeceptum est. *) Quam rationem ubi hodie secuti fuerimus, ut, quod ab idoneis magistris fieri solet, ingenia non ad brevissimam laudem rerum multitudine obruamus, sed occupando excutiendoque commonefaciamus, quantum virium ad veritatem cognoscendam a natura acceperint, et qui fines sciendi ultra hanc vitam ad perfectiorem animi virtutem pertineant, tum et studiis adolescentium et literis ipsis optime consultum esse ii ipsi confitebuntur, quibus materia discendi nunquam satis augeri videtur.

At ea, quae hactenus de Platonica disciplina enarravimus, dixerit aliquis, egregie quidem a tali magistro praecepta fuisse, sed perpaucos ei contigisse discipulos, qui excellentissimi ingenii speciem et formam dictis factisque exprimerent, multitudinem Atheniensium et ceterorum hominum, incuriosam istius sapientiae, sueto tramite processisse, et districtam omni libidinis, luxuriae, licentiae genere, conturbatam seditionibus domesticis, tum fractam bellis, frustra monentibus iis, qui imminentem perniciem viderent, tandem in hostium, barbarorum fere hominum, potestatem concessisse. Enimvero si leges et morum praecepta sufficerent ad corrigendos animos, satis prospectum iis fuisset. Nam et Solonis lege erat sancitum, ut quisque Atheniensis filios suos honesta aliqua arte instituendos curaret, quod ni fecisset, ut praemio nutrimentorum, pietate et cura filiorum, indignus censeretur **), et scholis gymnasiisque cives honesti publice praeerant, *παιδονόμοι*, *γυμνασίαρχοι* s. *γυμνασιάρχαι* dicti, et

---

*) Eadem summi mathematici Archimedis fuit sententia, de quo v. Plutarch. Marcell. c. 14. et 17. Nempe sapientissimi illi homines judicabant, rerum scientiam aeque ac virtutem ad ipsam naturam humanam pertinere, non ad utilitatem aliquam, quae ex ea sperari posset. v. *Jacobs.* l. c. sub tit. *Achtung der Wissenschaft* p. 76. sequ., et *Wachsmuth* l. c. p. 453. „Demnach war die Pädeia Charakter- Kraft- und Kunstbildung, nicht aber Unterricht in Kenntnissen, die gleich Vorräthen einzusammeln gewesen wären; das Wollen und Können galt, nicht das Wissen.“ *Wolf.* Consil. schol. p. 253. „Der hat sehr eingeschränkte Begriffe von einem Studium, der immer die Untersuchungen des Calculs höher schätzt als das Höchste.“ Id. p. 255. sequ. et 261. sequ. egregie commentatus est de sententiis Senecae: *Nusquam est, qui ubique est*, et: *Fastidientis stomachi est, multa degustare, quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt.* De studiis mathematicis Graecorum Platonis aetate nondum ad scientiae rationem excultis cf. Id. *Wachsmuth.* l. c. p. 490.

**) Plutarch. Solon. c 22. *νόμον ἔγραψεν, υἱῷ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες μὴ εἶναι.* cf. Forster. et Stallb. ad. Plat Criton. p. 50. D.

ut omnia ibi recte casteque agerentur, videbant*), quibus *κοσμητῶν* et *σωφρονιστῶν* ob eam curam nomina data sunt, et quum duodeviginti annos nati adolescentes in epheborum numerum transiissent, jam remota custodia paedagogorum, quos servilis quidem conditionis ex optimis probissimisque eligere ipsa pietas parentes jubebat,**) ipsa respublica insigni in eam rem Areopagi officio curam mores inspiciendi suscipiebat***), ne nisi probati a civibus ad magistratus, ad judicia, ad populi conciones admitterentur. Sed quod communi generis humani vitio omnibus civitatibus accidit, potior tandem fuit legibus et institutis ingravescens morum corruptela, praesertim quum ii, qui mederi morbo debebant, eadem lue corriperentur. Ne quis tamen existimet, inutilem publicam illam privatamque disciplinam fuisse, legat, quae de prisca simplicitate, integritate, abstinentia, fortitudine Atheniensium a rerum scriptoribus et ab ipsis poetis, ut ab Aristophane Nub. l. c. in notissima illa priscae novaeque aetatis comparatione traduntur, ipsis rebus, quas veteres illi Graeci gesserunt, satis testata, tum perpendat, castissimam virtutem rarius in

---

*) cf. Fischer. ad Pseudo-Aeschinis dial. III. c. 7., de *gymnasiarchis* Wolf. ad Demosthenis Leptineam prolegom. p. XCII., et qui diligentius rem tractavit Boeckh. Staatshaush. d. Ath. P. 1. p. 494. — De *sophronistis* Photius Lex. sub. h. v. *Σωφρονισταί· ἄρχοντές τινες χειροτονητοί, δέκα τὸν ἀριθμόν, ἑκάστης φυλῆς εἷς· ἐχειροτόνει μὲν ὁ δῆμος, ἐπεμελοῦντο δὲ οἱ χειροτονηθέντες τῆς τῶν ἐφήβων σωφροσύνης, μισθὸν λαμβάνοντες ἕκαστος παρὰ τῆς πόλεως καθ' ἡμέραν δραχμήν*, quae fere eadem repetita sunt a grammatico in Bekkeri Anecdot. Vol. 1. p. 301. et in Etymolog. M. — *Κοσμητὴς* commemoratur in Aeschinis qui dicitur dial. II. c. 8. *Ἐπειδὰν δὲ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφῇ, κοσμητὴς καὶ φόβος*, ad quem l. Fischerus: *κοσμηταὶ moderatores epheborum, qui videbant curabantque, ne ephebi in gymnasiis fines modestiae transgrederentur, qui etiam κοσμηταὶ ἐφήβων nuncupati sunt.* Diligentius *Boeckh.* ad Inscript. Attic. (Corp. Inscr. Vol 1. p. 375.) *Cosmetes est princeps gymnasiorum magistratus, cujus vetustissima mentio est in dialogo Axiocho c. 8. cf. ad explicandam vocem Erotian. Lex. Hippocr. v. κόσμου, et ex recentioribus Vandal. dissertat.* (ad marm. antiqu. 8, 6.), *Corsin. Fast. Att. II. p.* 143., *Prid. ad Marm. Oxon.* XXXVI.

**) v. *Jacobs* l. c. p. 186 sequ. sub tit. *Pädagogen.*

***) v. Isocrat. Areopag. c. 18, Plato Leg V. p. 738. E. Egregie de publica illa morum censura egerunt *Jacobs.* l. c. p. 371. sub tit. *Sittenaufsicht*, et *Wachsmuth* (Hellen. Alterth.) P. 1. p. 208. sequ. cf. *Cramer.* l. c. p. 264.

conspectum hominum progredi nec nisi secreta vestigia sui intra angustiores privatae rei terminos relinquere, nullis publicae laudis monumentis illustrata, denique, quales cives probos honestosque et ad optima quaeque discenda et facienda promtos ipsae praefationes sermonum Platonicorum describunt, et, id quod maximum est, praestantissimos illos viros, quorum facta scriptaque hodie admiramur, penitus corrupta societate prodire non potuisse, ut adeo, qui moribus et disciplinae institutis illis providerant, non frustra elaborasse videantur. Sed illustres illi viri, quorum principem Platonem dicimus, nonne immortales honestissimi laboris fructus pepererunt? Quid enim? Scholis illi conditis meliores cives et qui ex universa Graecia ad eos commeabant, tanquam ex irruente fluctuum inundatione servatos ad nobiliorem sapientiam, quam quae in auditoriis vel in foro exaudiretur, deduxerunt eosque in communi rerum desperatione fortes et cujusque discriminis patientes reddiderunt, tum, delata ad barbaros victores salutari institutione, usque latius dominantibus horum armis, quae paucis exposuerant, tanquam illorum hereditate in totum orbem terrarum transtulerunt, et perdomita optimis artibus Macedonum prius, postea Romanorum ferocia, novum eruditionis campum per longinquas plagas patefecerunt, ad quem duplici jam via, utroque sermone, Graeco et Latino, bene cognito, diversissimis populis jucunda peregrinatio aperta est. Nonne enim hodie illi vivunt, nonne scriptis excitant ingenia nostra et incendunt animos et admiratione virtutis ad veram sapientiam convertunt? Et quod bene nunc agitur cum puerorum institutione, quod, abjecta obscurorum virorum superstitione, detersis umbraticorum doctorum sordibus, humanitatis studia exercemus et feliciore eventu non poenarum terriculamentis, sed benevolentia et mansuetudine et veri pulcrique amore disciplinam regimus, idne ipsum primis illis auctoribus acceptum referimus? Nimirum universi generis humani educatio divinitus ita comparata est, ut non uno tempore subitove labore absolvatur, sed alia subinde et alia momenta incidant, quibus coeptum opus, uno eodemque moderante consilio, paulatim ad certiorem finem deducatur. Itaque diu praeparatis ad verae sapientiae cupiditatem animis et ad spem saluberrimae disciplinae excitatis, affulsit tandem iis, qui ex tenebris ad illustriorem scenam progredi dudum exoptassent, perfectissimi hominis exemplum, cujus notionem illi ingeniis conceperant, figuram et speciem ut in terris aliquando cognoscere liceret, nunquam eventurum speraverant. At idem ille omnes ad lucem appetendam, ad veri pulcrique perfectionem evocavit, et

dictis factisque viam demonstravit, qua ad propositum finem contenderetur, tum pietatis, integritatis, constantiae documento, quod ipse edidit, optimum quemque ad tantae virtutis aemulationem incendit, denique omnes mortales ut una auxilii communione ita uno humanitatis vinculo conjunxit. Quo defuncto quum alii, et in primis omnium Graeci, delatam ad se doctrinam, ut quae jamdudum motis desideriis optime satisfaceret, cupidissime amplecterentur, alii pristinis institutis moribusque contumacius adhaererent, alii antiqua novis miscerent vel nova pro antiquis venditarent, et docti indoctique opinionum suarum commenta divinae sapientiae simplicitati nunc adjicerent nunc praeferrent, quamvis obductis imprudentiae et cupiditatis humanae tenebris, mansit tamen incontaminatae veritatis perennitas, ad quam tanquam ad tutissimum portum ex novo animorum naufragio sapientiores confugerent. Postea repurgatis antiquae sapientiae fontibus et in remotiores agros deductis fuere quidem, qui nimia admiratione redditos illos Graeciae magistros, maxime Platonem, exciperent nec quicquam illis ad consummatam disciplinam veri deesse arbitrarentur, sed prudentior successit aetas, quae piorum pariter doctorumque interpretum ministerio adolescentes sacris Graecae eruditionis initiaret, tum moto dulcissimi cibi appetitu flores perlustrare juberet, quibus campi, per quos spatiati sunt illi magistri, ornantur, omnia tamen non ad inanem aliquam doctrinae ostentationem, neque ad fortuitam vitae commoditatem, sed ad stabilem virtutis veritatisque possessionem referret. Longum est, nomina recensere eorum, qui insigni pietate, indefessa industria, eximia eruditione de instauranda sana disciplina juventutis optime meriti sunt; nos ipsa diei, cujus solemnitatem indicimus, religione admonemur, ut grata mente recolamus memoriam eorum, qui fere principes inter illos, quos commemoravimus, condito Afraneo doctrinae, honestatis, et optimae cujusque laudis palaestram aperuerunt, tum qui per tria deinceps secula ex hoc studiorum recessu ad rempublicam domi forisque bene administrandam prodierunt, denique qui moderandis rebus nostris praefecti sanctissima tutela fideliter functi sunt.

Talem institutionis publicae praesidem et patronum hoc ipso anno amisimus, praematura morte patriae studiisque nostris ereptum. Obiit enim die VII. mensis Martii *Joannes Christianus Gottl. Muellerus*, de cujus vita, quum eadem urbis et consuetudinis opportunitate pueri adolescentem, juvenes maturae aetatis virum diu cognoverimus, si digna tali viro facundia nobis superesset, diligentius enarrare liberet, nunc, quae dicere animus jubet, sum-

matim adjicimus. Natus ille Merseburgi, urbe Saxoniae nunc Borussicae, die VI. Januarii mensis anni MDCCLXXVI., patre cive illius urbis honestissimo, qui experientia vitae et peculiari ingenii felicitate ita ultra conditionem, cui fortuna eum addixerat, sapiebat, ut consuetudo ejus etiam a lautioribus viris certatim expeteretur, suo exemplo demonstravit, optimis artibus et virtuti saepe ad hominum existimationem publicosque honores, nunquam non ad veram aeternamque laudem viam patere. Nam quum inter aequales brevi tempore ita excelluisset, ut amicitia et familiaritas ejus illo etiam tempore et in illa urbe, in qua generis nobilitas ut in materno sinu consedisse videbatur, a cujusque ordinis viris sedulo ambiretur, mox positis publicae vitae tirociniis et probata in diversissimis, ad quae adhibitus fuerat, negotiis aequabili dexteritate, constantia, integritate, ad majorum deinceps officiorum administrationem vocatus est. A quaestura enim fisci regii, qui Merseburgi exercebatur, MDCCCVIIII. ad jurisdictionem agri Lucenensis transiit, de quo paucis annis post furore belli gravissime afflicto ita promeritus est, ut industriam et fidem etiam Napoleonti, nescio sociorum dicam an hostium imperatori, qui illo loco rem gerens hospitio ejus utebatur, comprobaret. Mox amplior ejus virtuti campus apertus est, anno MDCCCXV. praefectura provinciae Lipsiensis, cujus sedes Grima est, ei demandata. Triennio post in summam curiam Dresdensem, quae illo tempore res Saxonicas summis auspiciis regebat, cooptatus prius a consiliis fuit praesidi, et inde ab anno MDCCCXXX parti negotiorum ipse praefuit. Exinde patria nostra seditione civili et partium studiis foedum in modum conturbata, circumspicientibus rege regnique socio viros, qui constantia et fide et rerum peritia restituendo ordini et instaurandae formae civitatis pares essent, in paucis dignus repertus est, qui novo apud Saxones honore ordinandis, quae ad cultum divinum et publicam juventutis institutionem pertinent, negotiis primus praeficeretur. Quo munere, non ad praesentem modo patriae incolumitatem, sed ad futurae aetatis spem et incrementum gravissimo, quanta dignitate, industria, prudentia functus sit, optime testati sunt viri principes, qui vel amici vel socii ei affuerunt; nos, quibus contigerat, ut proximo nexu patrocinii de statu scholae regiae, cui praesumus, ad eum referre eoque auctore rem agere liceret, per tres amplius annos intelleximus, quantum intersit, sub justo et constanti et perito praeside difficilioribus officiis operam navare. Quicquid enim proximis annis in Afraneo nostro ad stabiliendum ordinem, confirmandam disciplinam, au-

genda et gnaviter usurpanda studiorum subsidia, denique ad ejiciendas sordes restituendumque, qui animis oculisque placeat, nitorem bene actum esse videatur, et quod oppressa malevolorum invidia pristina laude et existimatione gaudere illud coepit, id omne Muelleri auctoritati et humanitati debemus. Sciunt, qui cognoverunt et identidem convenerunt virum egregium, quanta mansuetudine omnes recipere et audire et benigno consilio, vel si res exigeret, auxilio adjuvare solitus fuerit; nos proximo anno cum collegis ejusdem muneris Dresdam evocati, ut de universa juventutis patriae institutione et disciplina vel servanda vel ad meliorem rationem ordinanda coram illustri procerum senatu judicia nostra faceremus, sine ira et studio, rem aggressi, quum modeste, sed libere in eo negotio versaremur, in temperandis consiliis, componendis controversiis, regendis sententiis tantam ejus et gravitatem et comitatem sumus experti, ut, quem omnes semper venerati fuerant, ex eo tempore tanquam patrem et nostrum et juventutis nobis creditae singulari caritate adamaremus. Fuit ille, si quis alius, justus et tenax propositi, sed ita, ut sententiae auctoritatem benignitate et aequitate temperaret, unde factum est, ut, ad quae peragenda aliis multi anni vix suffecissent, ea brevissimo tempore absolverit; in negotiis cognoscendis, examinandis, maturandis adeo assiduus, ut vel promtissimos ad urgendum opus incitaret, ipse neque labori neque valetudini parceret; omnino ita animo comparatus, ut omnia veritati, nihil cupiditati tribueret atque ita etiam ab aliis agi vellet; denique in servandis prioris vitae amicitiis constantissimus, modo ne quis favore illo ad rem privatam abuti conaretur; domi frugalis et sobrius, dignissimae uxoris et liberorum amantissimus, ita ut eam pietatem, cui per universam patriam tuendae per ipsam muneris rationem invigilaret, non simulatam, sed intimo animo infixam, totam ejus vitam moderari appareret. Hunc virum quum et optimum et felicissimum saepe praedicaremus, salvum etiam et sospitem optabamus, et cujus animum fortiorem corporis infirmitate saepius cognossemus, sperare licebat fore, ut quamvis affecta per continuos labores valetudine, sensim levata officiorum gravitate et negotiis felicius usque succedentibus, patriae et suis et nobis rebusque nostris diutius incolumis servaretur, eamque spem confirmatam putabamus, quum proximi anni mense Octobri, quum ad visitandas scholas regias patriam peragraret, apud nos eum salutare et balneorum Schandaviensium usu refectum videre et sueta facundia eximiaque hilaritate alumnos nostros appellantem auscultare contigisset. Eo gravius nos

afflixit nuncius, qui, post brevem morbi accessionem die VII mensis Martii morti eum occubuisse afferebat; non enim praesidem modo, sed patronum et patrem nobis rebusque nostris ereptum sentiebamus, et universae reipublicae vicem conquerebamur, et hodie non sine lacrimis illud, *have pia anima!* in perpetuum succlamamus.

At bene consultum voluit providentia divina patriae nostrae, quod, viro praestantissimo erepto, in tanti oneris locum succedere voluit collega Muelleri non modo gravissimi muneris societate, sed amicitia etiam et communi benevolentia artissime cum eo conjunctus; et profecto, ut Illustr. *Lindenavium* certe ad aliquod tempus tot tantisque negotiis, quibus certa Principum voluntas inter universi populi gratulationes summum virum praefecit, hanc quoque provinciam adjecisse, percrebruit, hanc unam medelam luctui nostro dari potuisse, omnes consensere. Qui vir nostra laude major ut quam diutissime res nostras curare et possit et velit, enixissime precamur, simulque, quod ad hujus scholae incrementa attinet, ut, quae bonis auspiciis incepta et ad hunc usque locum deducta sunt, alacrius etiam feliciusque continuentur, nostram operam nunquam defuturam esse, religiosissime spondemus.

Sed dum haec scribimus, novus luctus per patriam nostram indicitur. Defunctus est ante paucos dies *Pater Patriae, Rex Saxonum Antonius*, quem, quum admodum senex ad summam potestatem accessisset, populus Principum suorum amantissimus brevissimo tempore non amore tantum, sed animorum verecundia amplecti et sanctissima pietate prosequi solebat, cui quid debeat patria, omnes sentiunt, quantum afflictis rebus consuluerit, rerum monumenta testabuntur, quae *Pii* et *Benigni* cognomina, laetis acclamationibus vivo data, mortuo in omnia tempora servabunt. At ille, quod paucissimis etiam privatae conditionis hominibus datum est, extrema et vegeta senectute fato concessit, vitae humanae negotio commodissime administrato, egregie exacto; unus in regni hereditatem successit, qui per sex fere annos regni socius fuit, *Fridericus Augustus*, ipso nomine ad omnium ordinum consensum, gratiarum actionem, congratulationem commendatus, dudum spectata virtute confirmaturus eam fidem, qua conjuncti Regem antiquissimo jure cives salutant, dictorum conventorumque constantia et veritate perpetuo colent. Hujus patrocinio ut hanc scholam, majorum pietate et munificentia ad ingenuam studiorum aemulationem apertam, novo sacramento addicimus, ita in eo unice elaborabimus, ut adolescentes, quo magis ingeniorum cultura profecerint, ita fide mo-

rumque honestate spectatissimos esse, luculento exemplo comprobemus. Atque ad hunc animorum votorumque concentum eo ipso die, qui hac scriptione indicitur, juventutem Afraneo traditam vocabimus, commendantes auditorum favori adolescentes disciplinae nostrae alumnos, qui die IIII. Julii, natalem enim diem scholae, qui tertius ejus mensis est, ob publica sacra nostra solemnitate celebrare non licet, hora VIIII. loco consueto orationes et carmina sua hoc ordine recitabunt:

I. Henricus Guilielmus *Schoene*, Cottanus, Latina oratione persequetur sententiam Sophoclis: *ἄνδρα ὠφελεῖν ἀφ᾽ ὧν ἔχοι τε καὶ δύναιτο κάλλιστος πόνων* (Oedip. Tyr. v. 309. 10. Wunder.)

II. Georg. Bernh. *Loehnig*, Misnensis, carmine Germanico, *veritatem ut summum vitae humanae finem sequendam* esse, dicet, (*die Wahrheit sei dein höchstes Ziel auf Erden*).

III. Eduard. Ludov. *Schwedler*, Kirchbergensis, elegia Graeca explicabit sententiam, quae Phocylidis dicitur: *τόλμα κακῶν ὀλοή, μεγ᾽ ὀφέλλει δ᾽ ἐσθλὰ πονεῦντας.*

Hi duo simul scholae, ex qua hoc ipso trimestri discedent, et fautoribus amicisque suis valedicent.

IV. Oswald Theodorus *Nake*, Rennersdorfiensis, elegia Latina ostendet, *non nisi labore parta vitae humanae bona recte aestimari* (ad Goethii sententiam: *Des Lebens Mühe lehrt uns allein des Lebens Güter schätzen*).

V. Gustav. Guilielm. *Mietzschke*, Seehusanus, carmine Germanico *eos deplorabit, qui nominis immortalitatem alienae felicitatis exitio quaerunt*, secutus verba Tiedgii: *Ist es denn so reizend, sich mit Trümmern in die Weltgeschichte einzubauen?*

VI. Henr. Julius *Schilling*, Frankenbergensis, Latino carmine Horatianum illud: *Ille potens sui laetusque deget, cui licet in diem dicere: vixi*, edisseret.

VII. Christian. Frider. Theod. *Eißner*, Dresdensis, memoriam Illustr. *Muelleri*, in quem unice convenit illud: *Multis ille bonis flebilis occidit*, Graeco carmine prosequetur.

VIII. Gustavus *Kreusel*, Dommitiensis, Latina oratione exponet de sententia: *Laus nova ni paritur, etiam vetus amittitur.*

Tum elegias Latinas, Kreyssigii auctoris ejus certaminis judicio prima laude partitoque praemio ornatas, recitabunt

IX. Ernest. Gustavus *Naumann*, Golsenensis Lusatus, scholae extraneus, proxime in patriam rediturus, et

X. Carolus Otto *Leuthold*, Bischofswerdanus.

Hos optimae spei adolescentes ut benigne audire, tum pro Rege Augustissimo, et pro iis, qui summis ejus auspiciis huic scholae et universae institutioni publicae praesunt, denique pro perpetua Afranei incolumitate solemnia vota concepturis favere nobis velint, quicunque patrocinio vel amicitia cum rebus nostris conjuncti sunt, ea qua par est pietate atque observantia rogamus.

Scr. in Regia Schola Afrana postrid. Non. Junias MDCCCXXXVI.

Corollarium.

Maxima parte hujus libelli typis exscripta, affertur ad nos diu desiderata oratio Celeb. *Eichstadii de antiqua Graecorum juvenum institutione cum disciplina nostratium comparata*, habita in academia Jenensi anno 1828., quae quum in eodem, quod tractavimus, argumento versari videatur, consilio et ratione diversa est. Demonstrat enim, nos, qua nunc utamur institutione in scholis et academiis, tantum abesse, ut Graecis cedamus, ut apud nos inveniantur non pauca, quae, si illi redire ad nos possent et nostram noscere rationem ac disciplinam, vel inviderent nobis vel certe sibi defuisse faterentur; et illos quidem, quum illud unum providendum esse censerent, ut mens sana esset in corpore sano, praetermissa corporis disciplina docet ingenia juvenum excoluisse doctrinis et artibus, sensum elegantiae et venustatis excitasse, animos religionis et libertatis studio imbuisse, denique gloriae cupiditatem quacunque fieri posset ratione inflammasse, sed apud nos eundem patere elegantioris institutionis campum, apud nos quoque praeclara elegantiae consectandae et incitamenta esse et praesidia, et praestantiorem esse nostram religionem, modo ne superstitione vel ficta pietate inquinetur, cum religionis autem libertate publicam esse conjunctam, denique gloriae cupiditati hodie proponi praemia, non corporis virium et agilitatis, sed ingenii, studiorum, et progressuum in literis factorum. Quae omnia quum negare non possit nisi qui putidus acti temporis laudator esse cupiat, id tamen dabimus Graecis, ut luculentissimo exemplo viam eos praemonstrasse concedamus, tum pleraque naturae convenientius instituisse, quam a reliquis ad nostram usque aetatem factum fuerit, deinde ingenii felicitate aliisque vitae humanae beneficiis praestantiores artificia nostra ex magistrorum scholis petita valde superasse, denique, id quod maximum est, in tota institutionis ratione ipsam veritatem rerum consectantes omnia disciplinae genera ad maximam constantiam justaeque rationis concinnitatem conjunxisse, ut adeo principum virorum illius gentis prudentiam, Platonis maxime summi magistri doctrinam pro antiquissima verissimaque norma habere vel amantissimos patriae virtutis morisque patrii et divinae, quae nobis contigit, religioni addictissimos poenitere non possit.

